EMBLEMATA, ET ALIQVOT NVMMI ANTIQVI OPERIS, IOAN. SAMBVCI TIRNAVIENSIS PANNONII.

QVARTA EDITIO.

Cum emendatione & auctario copioſo ipſius auctoris.



ANTVERPIÆ,
Apud Chriſtophorum Plantinum.
M. D. LXXXIIII.

Os, oculos pictor Sambuci reddidit, aptum
Ingenij munus fingere solus amat.



IOANNES CRATO MEDICVS IMPERATORIS.

Me pictura tenet, retinet grauitate poëma:
Libera Sambuci sic tenet arte liber.

DE EMBEMATE.

QVOD Emblematum, quę ferè κατὰ πάρεργον operibus, pro materiæ lociq. ratione, ornaměti atq. varietatis caussa inseruntur, genera sint tria, notũ est. Quorũ exẽplo quę præsertim ad morũ doctrinam pertinent, figuris quibusdam poëtarũ vt modo delectent, magisq. accendant, obduci vera inuoluiq. solent, vt ὡς ἐν τύπῳ notæ, ac signa δεικτικὰ sint, κὴ κατανοητικά. Nam τὸ ἐμβάλλεσθαι iniicere, ac proponere aliquid obscurius, quod explicationẽ, atq. cogitationẽ requirat, etiã Græcis significat, sed sine dubitatione, aut interrogatione meliùs fiũt, ac problematis obscuriora, & dilemmatis, ænigmatis apertiora videntur.

SYMBOLA autem seu παράσημα, ipsæ rerũ picturæ, ac imagines dici, quasi tesseræ, veriùs possunt: cognata hęc tamẽ, & vix vt εἰκὼν, κὴ μεταφορὰ, dissidẽt. Ac etsi hæc vt problemata vniuersa constitui possunt: trium tamen præcipuè sunt generũ, quomodò & ipsorũ expositio, & intelligentia. Nam & de moribus, & natura, & historica fabulosaq., διὰ χαρακτηρισμῶν, κὴ συνθημάτων cõmodè fingũtur: sed imprimis vitã, vt historię, volo erudiãt, vt quẽadmodũ illæ sunt Philosophia εἰδωλοποιός, ita hæc in oculos notis quibusdam incurrant, animumq. auditoris agunto, quod nõ secus, quã Poësis τὸ σύνολον τὰ λήμματα μίμησις ἐςὶ. Itaq. tecta, arguta, iocunda, & variè significantia sint, mutuoq. illa tria genera vim, figurasq. impertiãtur. Ipsa rerũ simulacra si vulgaria sunt, abditũ innuant sensum, obscuriora, non tamẽ κακόζηλα, aut κακόπλαςα, aut ἀπίθανα (cuiusmodi vel in Virgilio & Homero diligẽtia conquiras, & Aristophane, qui nubes inducit loquẽtes) doceãt apertiùs dũ analoga sint. Interpretatio verò, vt fabularũ, triplex adhiberi potest, eædẽ quippe sedes atq. loci vtriusq. sunt. Siquidẽ & μυθικῶς & ῥητορικῶς & φυσιολογικῶς, quo & ἀλληγορήματα pertinent, expositionem admittunt: etsi non omnia tam latè pateant; quoq. sunt angustiora, hoc magis delectant, iudicioq. & sapientia nituntur, vt epitheses poëtarũ propriæ, & aptæ, velut σφραγῖδες, & συγκαλύμματα, vt Phalereus appellat.

NON satis ergo vident, quid Emblema sit, qui quasuis sententias, historias, fabulas vulgò tritas, vmbris figurarũ, res eodem exprimentibus modo, aut quodlibet heroũ dictum lemmate informatum, emblema existimant. Quis enim hoc pacto non poëtarum γνώμας, fabulas, exẽpla historiarũ omnia, prouerbia, apophthegmata non suffigurarit? Vt si semiputatã vitem, pro negligenti patrefamilias: muscam contra elephãtem, pro temeritate: laterem lotum, pro inani labore: Curtij votum, Horatij factũ, pro fortitu-

dine, & quę huius generis de Valerio, & aliis circumferũtur, adducam; nisi aliquo adiuncto dissimulentur, & εἰρωνικὰ sint, quis miretur, aut laudem tribuat? Quare selecta, & ὀγκώδη erunt, nec minus, quàm cæcæ, & singulares AEgyptiorũ, & Pythagoreorum illæ notæ mentem exerceant: sed nec multitudine figurarum, pictorisq. magis artificio, quàm potestate has res metimur. Quãobrem in omnibus sit aliquãtum versatus, qui aptè παράδοξόπερα comminisci velit atq. in rerũ natura quorumuis formam, caussas, proprietates, ac ipsam denique εἰδωλοποιητικὴν teneat, si legi, atque posteritatem consequi iustam studet, necesse est: nec sit stomachus, qui non quiddam, quod sapiat, inueniat.

CAETERVM quid hoc in genere argumenti adhuc quidã præstiterint, non meum est pronũtiare. nec parum præstiterint oportet, quòd quidam totos quadraginta annos sua cudant, coquant, denique extrudant: nec diligentiam vitupero, πόνου γὰρ χωρὶς οὐδὲν εὐτυχεῖ: ac scio Platonem octuagesimo ætatis anno suos dialogos non deposuisse: sed ista dico, vt τούτων ἡμετέρων ὠκυτόκων dies ferè totidem cum illorũ annis conferã, meisq. incultis, & ineptis veniam impetrem benignam. Agnosco enim quædam esse vulgaria, sed aliter tamen exposita, nec omnino diffido ex hoc numero aliquot fore insignia, & luce, memoriaque digna, si amicorum me iudicium non fallit. Audiam igitur priùs quid alij de hoc meo subito consilio, præproperoq. fœtu sentiant. quòd si mihi bilem mouerint, vel animum his collaudatis addiderint, meliora his, & grauiora quæ in manibus habeo absoluam. Constitui enim, quæ imitatione inter Homerum & Virgilium cõueniunt ὑποτετυπωμένα, multa Athenæi, plura Philostrati, & Pausaniæ, vnà cum posticis vetustorum nummorum partibus, lapillis variè insignibus, interpretatione non ingrata, cum bonis, & harum rerum studiosis breui cõmunicare. Intereà hæc, Lector, fidei pignorisque nomine habeto, ac vt citiùs reliqua prodeant, cum venia laudato. Quòd verò aliqua clarissimorum virorum nomina addiderim, non ambitiosè factum putes: nec enim hos noui solùm, qui omnem adhuc ætatem apud exteros traduxi: sed vt pro meritis, memoriaque, & opinione de me publicè, scriptisque eorum testata, gratiam hac saltem occasione aliquam haberem: id verò spectaui, ac deinceps epistolis variis, mutuisque & in obseruationibus meis, vel erga mortuos quàm plurimos σὺν θεῷ cumulatiùs idem præstabo. Vale, Gandaui Kalend. Ianuariis, Anno salutis omnium M. D. LXIV.

MAXIMILIANO II.

IMPERATORI AVGVSTO, Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæq. Regi optimo, Archiduci Auſtriæ, Duci Burgundiæ, Comiti Tirolis, &c. Domino ſuo clementiſſimo.



QVIS tibi tam iuueni diuinos fundit honores,
Auſisq; immenſis compleuit pectora, Regum
Maxime? non leuiter tribuit mortalibus iſta
Munera, qui cælum, ac terras Deus ordine torquet.
Nam volucris latè totum fama intulit orbem,
Te triplici inſignem diademate, dotibus auctum.

Te ſibi Roma parens legum, imperiíque Latini
Conſcia nunc dominum legit, noménque decuſq;
Addidit Auguſti, & titulos, renouatq; triumphos;
Cæſareas laudes cumulat præſaga futuri.
Te quoque Pannoniæ fines tot cladibus vſque
Afflictæ, Regem poſcunt, donántve corona:
Vt Geticis tandem releuetur cædibus, atque
Nutu reſpirare tuo queat, hoſtibus obſit,
Quæ toties luxit crudeli funere. paſſim
Tot riuis auxit longinquum ſanguinis Iſtrum.
Cincta iugis Regem arboreis quoque Boëmia dudum
Obtinet, in decus, ac vires reditura priores.
Hæc pariter pro te certant, tua iura verentur
Regna, ducem in caſus ſperant tot fortibus omnes
Viribus intrepidè ruiturum, priſtina cunctis
Vt reuoces populis ſubitò decora, aurea ſecla:
Sub te vt pax coëat terrarum iudice ſolo: &
Vindice te vigeant, totus lætetur & Orbis.
Tu regere imperium poteſis, diſcordia ceſſet
Relligionis amore tui: te auctore ſecundum
Quiſque Deum numen veneretur, adoret idémque.
Hæc optant ſani, prædicit conſcia fati
Turba, ſimul gaudet fama immortaliter auctum.
Indole iam prima docuit moderamen Iberi,
Et necis auerſæ exemplum venaticus error
Quam capiti ſacro intentabat, quid valiturum
Ingenium, ac vires eſſent: fore te caput Orbis,
Delicias hominum, quem cuncti ſemper amarent,
Et puro canerent certatim pectore vates.

Ergo

Ergo Deus summo tibi munera donat Olympo,
Ille regit, fouet, imperióque ornauit amœno.
Nam Iouis est ales triplex diadema ministrans,
Quæ inter præcipuum est Romanũ, quod Dea vestis
Custos, nam Lupa nutriuit miserata gemellos
Vberibus fratres, & Romæ præbuit orsus.
Hæc oleæ ramum dextra, pacémque reuinctam
Defert, ac vigili cura iubet omnia serues.
Sunt fluuij Hungariæ septem tua sceptra verẽtes,
Qui sibi prouideas orant, cursuq́; perenni
Ritè monent curarum molem incumbere regis
Nunc humeris, te sollicitum debere caducis
Partibus obiicere ex animo, saluamq́; tueri.
Hæc vult, ac petit arma gerens, nec læta puella.
Parte alia est domitrix Virtus, leo duxq́; ferarũ
Candidus, hunc Boëmi submittunt, Maxmiliane,
Imperio, fortem ingeminant, dominumq́; salutant,
Sed breuibus repetam spes quæ patriam tenet ægram.
Deposita ac toties miserè concussa resurget
Pannonia, exitiíque modum te Rege futurum
Sperat, constitues Byzantij firma trophæa.
Desinet impietas, te Cæsare, purus iniquè
Posthabitusq́; Deûm cultus, probitasq́; redibit.
Diffugient nimbi, sublatis nubibus aër
In medio cunctis splendescet, te feret vnum
In terris Regem populus: compage soluta
Corporis, ad Superûm sedes, stellasq́; reuises,
Ornabísque aliquod sidus, propriumq́ue dicabis.
Iam tu magnorum decus, & Rex maxime Regũ,

Paucula quæ mitto placida ſimul accipe fronte,
Quoque fauore ſoles minimum cumulato clientem
Sambucum: meritò tanti qui incenſus amore
Principis, hæc offert domino non digna potenti.
Sed mitem noui, facilem expertusq́; ſubinde,
Oro, clementi aſpicias munuſcula vultu,
Quæ luſi nuper, poſtponens ſeria nugis,
Gandaui in clara generoſis ciuibus vrbe,
Hoſpitio celebri, ſeceſſu & ſemper amico.
Suſcipe dum maiora paro, tua facta tubáque,
Et pleno memorem virtutes gutture ſummas.
Vndique nam curo, laudi quod ſeruiat olim,
Non vllis ego, quod poſſum, nec ſumptibus, Heros,
Nec grauibus parco, nec cedo laboribus vſquam
Aut terra, aut pelago, mihi bibliotheca paratur
Dum exigua, & veteres numos, & marmora cogo;
Vt valeam ingenti prodeſſe clientulus, atque
Illuſtrem patriæ res geſtas, commemor æui.
Quidquid erit ſtudiũ quod colligit, optime Princeps,
Subijciam rediens ego tantæ numinis auræ.
Quæ precor, aſpiret cœptis, & littore ſiſtat.
Viue, vale, Heſperij, Eoi & mirentur, améntque.

T. M. Clientulus minimus
Sambucus.

Memor

Memor vtriusque fortunæ.



QVEIS peperit dignas olim victoria laudes,
 Solemni pompa hos excipiebat amor.
Roma suos voluit Capitolia celsa subire,
 Atque triumphantes concelebrare Duces.
Currus at appensum crotalon tulit, atq. flagellum,
 Possit hic aduersæ sortis vt esse memor.
Bulla etiam collo βȣλῆς, rerumq́; salubre,
 Quæq́; cauere decet, symbolon vtile erat.
Tres quoque Alexander nolas, sæuúmque Leonem
 Gestabat, ne esset strenuus absque metu.
Quàm facilè in luctus mutat fortuna triumphos,
 Et victor serui conditione venit?

Fortunæ esto memor semper fortuna in vtraque,
Non facile est æqua commoda mente pati.

In copia minor error.



CALLIDA *verrit humum longa vulpecula cauda,*
Irrisit nimium simia ἄπορον onus.
Subiicit at vulpes prolixè turpia malle
Abdere, quàm nudas semper habere nates.
Caussa fuit melior vulpis: superesse quod ornat,
Et prodest, satius quàm caruisse nimis.
Prodigus in vitio minus est, quàm prorsus auarus,
Virtutis potius congruit ille modo.

Conſcientia integra, laurus.



PRONA virens cælum ſpecto, nec fulmina terrēt,
Ob ſcelus excelſa quæ iacit arce pater.
Quin etiam foliis crepito, Daphnémque peruſta
Nomino, quam domini ſollicitauit amor.
Conſcia ſic munit virtus, & labe remota
Conditio ſuperis grata, virénsque diu eſt.
Haud voces hominum metuit, non ignea tela,
Qui niueo mentem cinxit amore ſuam:
Non hanc Eumenidum furor, aut agitabit iniquè
Triſtis, & inſonti non adeunda domus.
Candidus hoc etiam ſenio confectus inerti,

Nos

Nos monet, vt presso gutture cantat olor.
Purus congreditur sociæ, mox perluit vnda,
Et cano mores ritè colore refert.
Pœnitet illicitæ quem vitæ, & conscius error,
Non perit, æternis concinit ille modis.

Vera amicitia.



Et cælo & terra manibus cor vtrinque tenetur,
Externa nunquam quæ dirimuntur ope.
Est in amicitia suauis concordia rerum:
Nec potis est fictos, aut violenta pati.
Nam virtute coit, simulat nec enormia lucra:
Hæc vbi deficiunt, debita nulla fides.
Nullus amor durat, nulli comitantur honores,
Et quamuis caussæ dissoluëre leues.
Sed nec in humanis consensus firmat amicos,
Sint opus æterna relligione pares.
Quis sua committat Turcis, quo fœdere tutus,
Qui diuersa colit Numina, fingit idem?

Quæ

Quæ prosunt non temeranda.



VTILE quod vitæ est, semper honores,
Et meritas laudes ritè meretur,
Nec leuiter cuiuis proiiciendum:
Quæ sacra sunt porcis, non ea curæ,
Nec pretium norunt quid valituræ
Sunt segetes, tantùm bestiæ opimam
Saginam cumulant, ventris onúsque.
Ergo sues rectè sacrificabat
Frugiferæ quondam grata vetustas:
Semper & à bobus continuit se
Agricolis, quorum maximus vsus.

Nil omni parte securum.



ALIGEROS Ibis colubros auertit ab oris,
Tetrior ex ouo sed basiliscus adest.
Hanc adeò Ægyptus coluit, sibi præsidiumq́;
Delegit contra lethifera Æthiopum.
Nil est perpetuum, nil omni parte beatum:
Et venit vtilitas concomitata malo.
Si prohibet longè quæ tristia fata minantur,
Adiicit è proprio non leuiora sinu.
Vera salus cælo: hîc nullius & integer vsus:
Istic non cessat ver, viget omne decus.

Malum interdum ſimili arcendum.



QVAE mutatio, quæ viciſſitudo
Rerum & mixtio? frigus en calorem
Gignit, humidáque igne ſicciora
Nobis è pelago feruntur. ingens
Amorum Dea Cypris exſtitiſſe
Vndis dicitur, hæc Iouem, polóque
Quotquot numina, vertit in furores:
Gnati tot properis, foco ſubinde
Accenſis leuiter ſuis ſagittis.
Num tale Africa prodidiſſe monſtrum
Quiuit? ſi ſoboles poteſt aquarum

Tantum

Tantum, quid facient foci perennes?
Quænam frigora ſopient peruſtum
Cor, & membra liquore temperabunt?
Sed nunc conſilium patet roganti,
Exortum vnde malum eſt, leuationem
Quæras, hæc medicina tot periclis
Multos atque ſiti leuauit olim.
Ignis nam perimit, ſe edítque tandem,
Quando pabula non habet ſuprema.
Amores igitur regas amore,
Flammas & facibus neces ſeueras.
Sic ortam Venerem mari fatebor,
Et contraria noxiis fugari.

Cur Venus è ſpuma?

Sunt bilis atræ flamina,
Quæ nos cient Venerem, ſed in breuiſſimam.
Sic bulla gignit Cypridem;
Breuis eſt enim cupidinis ſuauitas.
Vel ſalſa, quòd ſalacia,
Vel quòd venuſtum, ac elegans ſalſum vocant.

Superfluum inutile.

Ad Vitum Rechnicz.



DIVITIAS reputo veras quas exigit vſus,
Et ſortem inſignem, quam dat habere Deus.
Porrigit en quantam bos laſſus pondere linguam,
E linguis nulla eſt ſed crocodile tibi.
Eſt gruibus, cygnis, anſer tibi care, πελάργοις
Collum, non ſitiens an opus ales habet?
Cuique ſuum tribuit varium qui condidit Orbem,
Quique dedit totum, parte deeſſe nequit.

Quæ

Quæ ſequimur fugimus, noſque fugiunt.

Ad Philip. Apianum.



QVID *ſemper querimur deeſſe nobis?*
Cur nunquam ſatiat fames perennis?
Haud res nos fugiunt; loco ſolemus
Ipſi cedere ſed fugaciore.
Mors nos arripit antè quàm lucremur
Tantum quod cupimus, Deum & precamur.
Vel ſi rem fateare conſitendam,
Res & nos fugimus ſimul fugaces.
Ne ſint diuitiæ tibi dolori:
Ac veram ſtatuas beatitatem
Firmis rebus, in aſperaque vita.

Vniuersus status, ἡ λαοκρατία.



FORMICAS *homines factas dixere poëtæ,*
Sensus inest aliquis, prouida cura mouet.
Sed sine iudicio concurrunt lege solutæ:
Et glomerat montes paruula turba suos.
Cõmouet has quiduis trepidas, Duce, Rege carentq́;:
Ordo tenet nullus, sollicitátque furor.
Has turbant sonitus, apibus dum rusticus aptam
Constituit sedem, & conuocat alueolis.
Quum coëunt ciues sine legibus, imperiúmque
Omnibus æquale est; ius, gládiusq́; silent.
Et nisi seditio populum vexátque tumultus;

Præmia

Præmia nulla bonis, libera pœna malis.
Vt tempestates turbo præludit arenis,
Horum conditio mobilis, atque status.
Hos fuge, tranquillas si quæris figere sedes,
Nempe nihil firmi res popularis habet.

Fortuna Duce.

Ad Hieron. VVolfium.



SVNT *binæ hic cistæ, quarum tenet altera plumbum,*
Auro ſed grauis eſt altera, neutra patet.
Optio ſi fallat, plumbum vt pro diuite cæcus
Arripias auro: quis tibi cauſſa mali eſt?
Hinc quibus ingenium eſt, multos fortuna retardat,
Non dignísque refert præmia iniqua viris.
In domino non eſt ſemper ditare fideles,
Culpa, nec immeritos tot cumulaſſe bonis.
Nam quos fata premunt, metas contingere fixas,
Et miſera nequeunt ſe releuare mora.
Sed neque Fortuna eſt quidquam, niſi opinio vana:
Quam meritò ſpernis, vincis & ingenio.

Pietatis vis.



MAIOR sit pietas sanguinis, atque amor
Fratrum, quàm imperij, diuitiis & Tagi.
Illis hæc etenim præmia seruiunt,
Et dignis decorant laudibus asseclas.
Virtutes opibus quis neget omnibus
Præstare, & superas inferioribus
Auras esse magis numine laudéque
Completas, nisi sit cæcus & impius?
Lycurgus voluit tradere posthumo
Fratris sceptra, sibi debita proximus.
Sed duxit satius subdita legibus
Firmanda, imperij quàm esse caput sui.

Plus quàm Diomedis & Glauci permutatio.

Ad Paschasium Hamelium.




NVPER Astrologus satis peritus
Iussus nomine Principis videre
Cælum, mox pluuias fore, ac tonitru
Dixit: sic remoratus est volentem
Venatum proficiscier iuuentam.
Sed cùm nec pluuiæ, minus tonitru
Venisset, properant foras subinde,
Mendacémque adeò increpant Magistrum.
Princeps in reditu videns arantem,
Qui rastris minuebat & cylindro
Glebas, num pluuias breui futuras

Puta-

Putaret, rogat. ille mox petenti:
Viginti nihil his ait diebus.
Euentus quoque dicta comprobauit.
Princeps Astrologi sui cylindros
Instrumentáque queis solebat astra
Metiri, rapit, & dedit ferenda
Vati ruricolæ domum: iubétque
Vicissim istius hic ferat cylindrum
Pro astris, rastráque sedulò colenda.


Quæ ante pedes.



QVAE gallina ſibi concredita viderat oua
Exſorbet, nullo pignore ſpémque leuat.
Hæc ſibi, non aliis inſeruit, nulla futuri
Cura, minus ſenſum poſteritatis habet.
Hoc vitium eſt multis, qui nullo parta labore
Conſumunt, reliqui temporis immemores.
Vbera quæ ſugunt vaccæ mulctris proprium & lac
Præripiunt; cur his pabula læta feras?
At nos non ſolùm nobis, ſed viuimus ortu
Noſtris, & patriæ: ſecula quoſque ferent.

Molestia vana.

Michaëli Sophiano suo.



MYRMECIDEM *nemo potuit superare molesto*
Inuisóque opere; at commoda parua tulit.
Quadriiugos tenui currus forma, artéque finxit,
Quos alis tegeres paruula musca tuis.
Quíque apis alarum minimo sub tegmine vela
Abdidit; infandum, sed leue fecit opus.
Quid iuuat artifici tantum valuisse labore,
Ni prosint, oculos effugiantq; tuos?

Nimium

Nimium ſapere.



COMINVS *aduerſum qui ſpectat lumine Phœbũ,*
Nititur & radiis vincere, cæcus abit.
Vane quid affectas cæleſtibus addere lucem,
Ardentémque oculis ſollicitare Deum?
Sola poteſt magni hoc ales præſtare Tonantis,
Hæc quoque viſum acuit, non ſuperare ſolet.
Alta nimis linque, & donata ſorte beatum
Te dic, quódque velis eſſe, fuiſſe puta.
Non bene conueniunt Phaëton tibi regna ſuprema,
Icarus optatis decidit atque polis.

O i

Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν, &c.



EXERCITVS *curam gerens ſomno leuis*
Eſt nec profundè dormiens:
Negotioſus ſemper, & paratior
Ad arma primus prodiens.
Victorias celebres tulit Macedo vigil,
Laudes, trophæa maxima.
Sopore nunquam paſſus eſt ſe comprimi:
Sed altera globus manu
Detentus, æreum incidebat vaſculum,
Quiete mox ſe colligens.
De Iulio fertur minus nec Caſare,
Ad ſingulas vigili vices.

vid: Laert. v in Ariſtot.

Con-

Consilium.



NIL firmum sine lege stetit, studiisq́; verendis
Consilio pacem, bellaq́; iusta rege.
Quod sine iudicio prudenti, & suscipis arte,
Fœdera sint, moueas seu quoque bella, perit.
Militiæ doctrina valet, sanctusq́; Senatus,
Atque domum tuta conditione tenet.
En breuis à rixis concordia, dissidiúmque
Fit longum è socio pectore, ni caueas.
Attica concessit belli sua sceptra Pericli,
Tyrtæo, & Sophocli sic quoque Sparta Duci.

Pax

Pax melior cunctis, te copia poscit amœnam:
Tu reparas animos, te sine mœret ager.
Ergo secessus Cadmi, cultæq; sorores
Et viuant quosquos litera docta fouet.

Peri-

Periculum in promptu.



SAEPE malum expertus tacta torpedine conto est
Piscator, rigidam dum trahit ille manum.
Sit licet in fundo piscis, nec corpora tangat,
Per quod contiguum est frigore, sæuit iners.
Sic latitans leuiter, prædam quoque cogit arenis,
Dum reliquos pisces illa rigere facit.
Fatales veniunt casus, speratáq; nunquam
Damna, licet caueas, effugiásque procul.
Nil sine fraude agitur: quauis latet anguis in herba,
Nec metuenda solent impediisse magis.

Inte-

Caussæ inuestigandæ.



MACHINA cur obelo fundetur, quæris amice,
Et velit inuersa conspicier facie?
In promptu caussa est, se celsa cacumina propter
Factam, parte tamen sed meliore premi.
Nemo sustineat quid molem pensat ab imo,
Et mouet hic tantùm conspiciendus apex.
Vera hæc si ignoras, sunt fundamenta laborum,
Hísque vetustatis pòst decus attribue.
Non forma solùm nos, & spectacula vulgò
Commoueant; caussas sed quoque scire velis.

Importuna adulatio.



MAGNVS Alexãder patulũ qui ſubdidit Orbem,
Vt natus eſſe crederetur è polo:
Illius effigiem inſignem picturus Apelles,
Addidit adulator triſulca fulmina.
Sed nimium fuit hoc, & res ſuſpecta modeſtos
Habuit reprenſores negotij leuis.
Lyſippus plaſtes qui Regem duxerat ære,
Haſtam decere nam magis Reges ait.
Iulius exceptus victor, non Regis honores,
Vult imperatoris ſed vſque nomina.
Fulmina mortales terrent, ſunt fulmina cælo.

Beni-

Benignius Reges agunt, & Principes.
Conuenit his ægis, præstans & Palladis hasta,
Insigne verùm herois istud inclyti.

Vtilitatis ergò, limax.



DVM *latitans domiporta vagor, mensasq; paratu*
Orno, vel in Venerem luxuriosa vocor:
Omnes certatim redimunt, me colligit vsus,
Delitiis nequeo tum exsaturare famem.
Deposui quando concham, (quæ grata voluntas)
Proteror, aut risu sæpè reuoluor humi.
Donec profueris, se quilibet addit amicum:
Casibus aduersis mox violatur honos.

Moderata conditio.

Ad Andream Sbardellatum Episcopum.



QVAE volat aëreos montes, super ardua tecta,
Findit, & ancipiti fertur, abitq; via.
Nunc sublime petit, medium nunc aduolat oris,
Et Iouis imperio digna videtur auis.
Præ senio, morbis, aut litibus altera nuda
Nititur, & superas tentat adire plagas.
Sed frustrà tentat, licet hæc onerantibus alis
Libera sit, quamuis illa minusq; leuis.
Alatus potis est nubes, æquaréve cælum,
Implumis nusquam sed Iouis ales abit.
Non leuitas tollit, nec onus nos deprimit omnes,
In medio tutum conditionis opus.

Beni-

Benignitas.

Ad Georg. Drascouith Episcopum Quinquecclesiens.



QVANTO *plus terra effoditur, scrobs crescit hia-*
Et tumulus maior prominet indicio. [*tu,*
Diuitias aliis si quis communicat amplas,
Non fit pauperior, statq́ue benigna manus.
Dispereant quorum numi pro numine habentur,
Vicinisq́ue negant omine fontis aquas.
In tenebris cur non capiat sibi lumen egenus,
Num fit flamma minor? num quoq. terra satis?
Κοινὰ φίλων *dicas, si Crœsi ingentia tractes,*
Aut bona Pactoli, possideásve Tagum.

Subitæ diuitiæ obliuiosæ.



CVM nos diuitiæ erigunt superbæ,
Et fortuna beat vel otiosos,
Obliuiscimur impij Deorum,
Nec sors adiuuat indigos sodales.
Aræ thure vacant, foco & decenti,
Nec ventura animus videre cæcus
Dignatur, tumidi aut maris procellas.
Securi nimium sed in profundam
Labuntur foueam, grauésque pœnas.
Si fortuna igitur fouet secunda,
Illam discito temperare mente;


Vt prorsus dubiam, & rota volucrem:
Sic posthac leuius feres nouercam.

Ars deluditur arte.



INSIDIAS *Nili Varus dum tendit inanes,*
Et metuit prædam se fore rana, cauet.
Quippe statim accurrens, vbi copia arundinis extat,
Dentibus accisam præripit, ore tenet.
Sic prensam à Varo prædam transuersa tuetur
Cannula, sic inhians luditur arte fames.
Haud igitur veterem repetit limosa querelam:
Decipit & magnos infima turba viros.

Sobriè potandum.



MONSTRA alit Ægyptus, Niloq́; latentia paſſim
Sunt mala, non tutum vt ſit poſuiſſe ſitim.
Id canis expertus, ſimul vt ſitis vrget amara;
Non properat gelidis mergere guttur aquis:
Sed leuiter fauces adhibet, lambitq́; cauendo
Noxia ne potans amne venena trahat.
A multo refugit potu, & tetigiſſe paludes
Sufficit, hoc vitam ſuſtinet ille modo.
Fœdiùs hîc peccant, ſine qui diſcrimine ſemper
Implentur cyathis, brutaq́; ſe efficiunt.
Ingenium euertunt, rixis agitantur iniquis,
Forma refert homines, ſed rationis egent.

Sors audaces iuuat.



Vt ira segnes interim leuis ciet,
Audentius ruant in hostes vt suos:
Sic sors mouet minus feroces impete,
Vt promptius fortes magis se deterant.
Quis Hectori se opponere ingenti studet?
Haud Nestor annis obsitus, lingua potens,
Nec inclytus Græcorum Achilles optimus,
Qui tot trucidarat sibi hostes obuios:
Aiax sed est, cùm lectus inferior, statim
Armatus effert in superbum se Hectora:
Nec cedit, ambo donec æstu sint pares,
Vterque fessus symbolum alteri & daret.

Minuit præsentia famam.



NIX stat inaccesso quæ montis vertice, nullis
Sint licet vrgentes, funditur à radiis.
Vt valeant vires, iusto est opus interuallo;
Fitque repercussus fortior vsque calor.
Quid, quod in humanis minuit præsentia famam,
Profuit obscuro ac delituisse loco?
Prodidit ignaros audacia, quósve φιλαύτους
Dicimus, at timidis nec licet esse nimis.
Multi quos studium, & commendat Pallas amica,
Dum tacuere vigent, publica scripta premunt.

Laus

Laus in fine.



LAVDEM tulit non qui incipit, aut mouet
Insigne opus, nam quilibet id potest:
Finem sed imponit supremum,
Hic meritos referet triumphos.
Vlyssem Homerus sic πτολίπορθον, &
Victorem, Achillem nec vocitat grauem.
Aiax licet sit strenuúsque,
Non tamen hos dedit illi honores.
Exercitum vnus nam insuperabilem
Turbabit, at qui composuit Deus
Est solus, hic nam sapientes
Imperio moderatur æquo.

Res

Res humanæ in summo declinant.



IN medio librat Phœbus dum lumina cælo,
Dissoluit radiis, quæ cecidere, niues.
Cùm res humanæ in summo stant, sæpè liquescunt:
Et nihil æternum, quod rapit atra dies.
Nil iuuat ingentes habitare palatia Reges,
Conditio miseros hæc eademq́ manet.
Mors æquat cunctos, opibus nec parcit in horam,
Verbaq́ dum volitant, ocyus illa venit.
Heu, leuiter ventus pellit nos omnis inermes,
Concidimus citiùs quàm leuat aura rosas.

Sus


Sus lutulenta ſequitur.



VNCTIS trahuntur qui culinis, aut penu,
Veniunt libenter ad paratas & dapes;
Mores heri, & vocantis hos opus ſequi.
Blandis adulator modis nam paſcitur,
Conſuetus & libidinum ſuauibus
Coire cœtibus: videntur haud ſecus
Agere, ſues quàm qui domum emptas promouent,
Pedibus ligatas: nam ſimul veſtigia
Coguntur hinc & inde per cœnum, lutum; &
Quaſcunque per vias vocantur, conſequi.
Si vis probatus eſſe, amato quæ bona,
Et pura: non mendaciis beabere.

Semper

Semper ignauus.



BVFFALVS à ſtimulo nequicquã motus acuto,
Lentus ad Agricolæ verbere pergit opus.
Indocilis ſemper denſa cute ſpernit habenas,
Et præter molem nil παχύδερμος habet.
Quem vis ingenij præstans, ſtudiumq́ue, laborq́ue
Deficiunt, num quid crebra flagella iuuant?
Cochlea ſit greſſu malo, quàm penniger ales,
Quem cogas, leporem aut fuste ſequare, canis.
Mitigat haud vllum tempus quæ prandia lambit
Muſcam, nec minus ac ſemper hirundo fera eſt.

Poë-i-

Diuitiæ inutiles.



QVAE celebris fama cunctorum peruolat ora,
Eſt Platanus Xerxis, nulla cicada latet.
Aurea quid proſunt, ſi non pandantur in vſum,
Atque ferant miſeris ſubſidiumq́; malis?
Non ego delitias reputo, nec munera rara;
Condita ſint, imis ſi lateantq́; locis.
Ex opibus tantis cur nolim parte ſodalem,
Et notum cana iure leuare fide?
Heu ſtultos, qui ſe inuiſos fecere negando;
Magnus enim, qui dat, ſi capit inde nihil.
Viſcera ſi terræ ſcruteris, copia quanta
Se offeret, indignè quam premit omne ſpecus?

Docti ignauos reprehendunt.



INTERPRES *Diuûm Latonam ad ſicca fluenta*
Corripit, ac victam cedere poſſe monet.
Armis nam exuerat Iuno, lachrymoſa querelam
Dedecus ad magnum pertuleratq́ Iouem.
Mercurius valet ingenio, mandata per auras
Dum memor eloquio nuntiat vſque potens.
Immemor at contra Dianæ obliuio nomen
Indidit, humida enim & frigiditate leuis.
Quod vero ad Xanthum fuerit lis orta, docemur,
Sit potior mixtis humiditate calor.
Spiritus è tenui fomento naſcitur, humor

Algi-

Algidus ast prohibet, vel remoratur eos.
In cunctis etiam superet vis ignea, vitam
Hæc largitur enim, non sine temperie.

Remedium tempestiuum sit.



QVAE *nocitura putas cohibe, nã occasio calua est,*
Seròque prauisis sæpe fenestra patet.
Per rimam inseruit quando caput anguis hiantem,
Quid prohibet caudam quin etiam ille trahat?
Præcipuè à tergo si instes, noceásque cauendo,
Et primis addas partibus auxilium.
Occurras subitò, tardè medicina paratur,
Cùm paries ardet proximus, vsta ruunt.

In ſecundis conſiſtere laudabile quoque.



ORPHEVS *lyra valebat,*
Olor ſacérque ſemper
Fuit, ſuaue cantans.
Poſt hunc bonúsque Homerus,
Philomela cui dicata eſt,
Tanquam loco ſecundo.
Sed rectius ſecundum
Illi locum dediſſent:
Nam vt Pſittacus meretur
Primas, loquax ſecundas
Pica, iſte vincit illum.

Hoc

Hoc Symbolum referri
Ad eos poteſt, gradum qui
Laudémque non tenere
Primam queunt: ſed inde
Virtute mox ſequentem.

Προδοσέταιρος exoſus.



CAECVS amor nunquam ratio quid dictet honeſta,
Et quid conueniat, quid noceatq́; videt.
Sed ruit, ac fertur, pronum illætabile fatum
Donec corripiat, perdat & omne genus.
Quid Niſo imperium rapuit, Minoáque Regem
Auxit, quàm natæ conſceleratus amor?
Impia quid lucri tulit, an Cretenſis amore,
Tot curis tandem feſſa, potita fuit?
Hoſtem qui patriæ fouet, atque libidinis ergò
Omnia poſtponit, ſpretus vbique iacet.
Quæ ſpe ſoletur metuentes proditor hoſtes,
Quem cuperet nunquam ſe genuiſſe parens?

Indu-

Induſtria naturam corrigit.



TAM *rude & incultum nihil eſt, induſtria poſſit*
Naturæ vitium quin poliiſſe, labor.
Inuentam caſu cochleam, temeréque iacentem
Inſtruxit neruis nuntius ille Deûm.
Informem citharam excoluit: nunc gaudia mille,
Et reddit dulces pectine mota ſonos.
Cur igitur quereris, naturam & fingis ineptam?
Nónne tibi ratio eſt? muta loquuntur, abi.
Ritè fit è concha teſtudo, ſeruit vtrinque:
In Venerem hæc digitis, ſæpiùs illa gulæ.

Dolus ineuitabilis.



QVAMVIS centum oculos habeas, totidémque ministros,
A specie veri fallimur, arsq; capit.
Fraudibus obscuras poteris remouere latebras,
Nilq; adeo firmum quin violare queas.
Quàm vigil est Argus? sepelitur carmine blando,
Callidus ingreditur pectora Mercurius.
Quis sibi ab insidiis caueat, si fraude tegantur?
Non ficta quantum præstat amicus ope.
Sed tales (mirum) paucos hæc protulit ætas:
Quisque sibi viuit, cuncta regitq; dolus.

Dic

Dic ſimul occiſum cuſtodem, nam ſolet oſor,
Sint oculi ignauûm quotlibet, eſſe Deus.
Denique ſegnitie mota, & torpore reciſo,
Æternis certat gloria ſideribus.
Inde ſuam ornauit caudam Iunonius ales,
Perpetuus triſti ſplendor ab enſe venit.

Ridicula ambitio.



QVID non ambitio perſuadet dedita vanis,
Dum ex leuibus certum captat inepta decus?
An non ex auium cantu, quas gutture nomen
Fingere conſuerat, notior eſſe cupit?
His igitur tandem miſſis vt ſpargere in Orbe
Nomen heri poſſent, atque ſonare procul:
Priſtina continuò repetebant carmina ſyluis,
Annonis & votum docta fefellit auis.
Ficedulas etiam religatas pertrahit eſca,
Stamina ſi rumpant, libera rura petunt.
In leuibus quæſo firmam ne ponito laudem:
Sola fugit virtus triſtia fata rogi.

Cur ſues cancris veſcantur.



Svs capitis curat grauiorem ſæpè dolorem,
Dum cancros, fluuiis qui generantur, edit.
Collige verborum quæ ſit ſententia paucis,
Singula nam proſunt moribus apta bonis.
Qui vitiis ſeſe dedunt, & praua ſequuntur,
Ad frugem nunquam mens niſi verſa redit.
Eſt opus inflectat vitam contrarius ordo,
Atque gradus retrò, quomodò cancer, eant.
Hæc medicina leuat lutulentos nectare morbos,
Conſilio ut liqueat pœnituiſſe mali.

Vſus

Vsus libri, non lectio prudentes facit.

Ad Fuluium Vrsinum suum.



NON doceo semper, non est cur sæpè reuisas:
Lectorem memorem pagina nostra facit.
Possidet ingentem numerum qui vendit auarus,
Doctior at nunquam bibliopola fuit.
Perpetuò si nos verses, relegásque seuerus,
Si non vtaris, contineásve memor:
Nunquam proficies, periit labor, atque lucerna,
Officij hoc nostri, vt te moneamus, erat.
Id quoniam rectè noras doctissime Fului,
Imprimis veteres te erudiere libri.
Horum tu numerum insignem rarumq́; tueris,

Ingenio

Ingenio multos restituisq; libros.
quoque delectat Sambucum & tota vetustas:
Prosimus, quibus est copia fortè minor.

De obliuione & ferula Baccho dicata.

Odi memorem compotorem.



ODI *sympoſijmemorem, dubie & ſimul*
Litis: nam calices volo, verbáque libera,
Ludos atque iocos niue pectora candida.
Baccho rectè igitur veteres Ferulam dicant,
Oblitúmque cor, vt penitus ſileant, ſuos
Aut læſi ſocios leuiter modo puniant.

Vel

Vel minima offendunt.



PARVAE etiã caussæ magnos in damna vocarũt,
Scrupulus inceptum nónne moratur iter?
Ingens è Ponto piscis defertur in Istrum,
Husonem vulgò Pannonis ora vocat.
Paruulus aduerso nare hunc quoque flumine cogit
Sturiolus, nostras hoc cumulátque dapes.
Quàm leuiter præda potitur piscator amœna,
Dulcibus æquoreas dum Huso relinquit aquas.
Sic furem, longis artem qui exercuit annis,
Mica salis meritam cogit adire crucem.

Varij

Varij hominum sensus.

Ad Franciscum Forgaz Episc. Var.



QVAEDAM *anus in sacrũ portabat crania collẽ,*
Ossibus humanis ne minuatur honos.
Sed titubans ægris pedibus cùm verticem adiret,
Concidit, ac varium crania versat iter.
Illa videns labi diuersè cuncta retrorsum,
Quódque adeò discors semita ferret onus:
Quid mirum si tot sensus, quot in orbe figuræ
Sunt, ait, in viuis, num ossibus vna via est?
Nónne iecur Tityi restat, subitóque renascens
Exercet variè quæ laniabat, auem?
Sic dum nos tellus indutos mole dolorum
Detinet, ancipiti mens vaga fertur equo.

Temeraria ignorantia.

Ad Bartholom. Marlianum.



MVSCAE ſunt temerariæ, & moleſtæ,
Lambunt prandia, nec mouentur actæ.
Has vt fortis, & inclytus repellit,
Nec ſuffert; ita litteras colentes
Conſtanter ſtudiis, loquacitatem,
Ignaros, temerarióſque vitant,
Audaces temerè mouere quiduis,
Auréſque obruere elegantiores.
Ceruus cornibus abdidit relictis
Se, marémque piget, mage eſt pudicus.
Sic quos expoliunt nouem ſorores,

Et

Et florent solida eruditione:
Hos sanos videas, parùm & loquaces,
Nec nugas modò venditare inanes.

Spes certa.



PASSIM *mortales spe seducuntur inani,*
Luditur & vanis non temeranda fides.
Quid magis est ouis dubium, sint candida quamuis,
Nónne mouent stomachum, damnáque sæpe ferunt?
Si gallina tamen genitali his incubet igni,
Ac foueat præsens subdita dona calor,
Certius an quidquam pullis, & fœnore viuo?
In tutis igitur spémque decúsque loca.

Interiora vide.



FORMA tibi præstans, oculi cum sidere certant,
Atque habitat toto corpore pulchra Venus.
Sed vitiis animus, mens vndique, corpore toto
Atque sinus pleni, mixta venena latent.
Est manus ad cædem prompta, ad periuria lingua,
Lumina, frons meretrix, nec pede tutus ades.
Quàm malè Mercurius dotes cum Cypride iunxit,
ὥστε καλοῦ μήλου nil color intus habet.
Ergo puer multùm soli ni fide colori:
Ni probat hunc virtus, quî mihi pulcher eris?

Virtus

Virtus vnita valet.

Ad Principes Vngariæ.



NIL mare corrumpit, ſalſum à putredine tutũ eſt,
Multaq́ perpetuis motibus acta, vigent.
Si tamen in foſſas deriues, atque paludes,
Vim patitur, dotes nec tenet inde ſuas.
Dulcibus amittit vires nitríque vapores
Exhalant, quoties mutat origo noui.
Plus vnita poteſt virtus, diſperſa labaſcit,
Atque ſuo durant qualibet apta loco.
Pignore commutat ſuaui tranſlata veneno
Perſicus, & tutis carpitur illa gulis.
Fluctibus in mediis patriæ tot cladibus actæ

Concordi proceres ſubueniatis ope.
Nec vos exoſæ mentes, propriæq́ ſalutis
Oblitæ exagitent, & nota turpis alat.
Huniadis memores, ac Regis quæſo Mathiæ
Eſtote, ad quorum nomina Turca tremit.
Diuerſum ne vos ſtudium diſiungat iniquè,
Colligat in patriæ vos amor vnus opem.

Impe-

Imperatoris virtutes.



QVAE ratio belli sit, qua virtute Ducémque
Instructum cupiam, si præstet fortibus ausis,
Ni piget, en breuibus declarat symbolon istud.
Consilio celerem decet, eloquióve potentem
Esse Ducem, vt caueat, tardos, Martisq; perosos
Exacuat, regat, inflectat sermone suäui.
Cùm proprium est paret arma, nocet cũctatio vana,
Infractusq; animo reliquis præcurrat in hostem.
Anguibus & studium pacis, fœdusq; notatur.
Nil tamen hæc prosunt, vacua estq; scientia belli,
Si fortuna nocet, pulchros confundat & orsus.

Absit auarities, dominetur nulla cupido,
Principis vt sequier possit vestigia miles,
Quem videat propriis parentem legibus vsque.
Hunc fore victorem credas, dignisq; triumphis
Imperióque ferentem aui venientis honores.

Phy-

Physicæ ac Metaphysicæ differentia.

Ad Carolum Vtenhouium.



N A T V R A E *multa eſt cognatio mobilis, atque*
Prodiit æternis, illaq́; noſſe monet.
Eſt etenim fœtus veluti genitricis amica,
Sed patitur, ſoluit tempus edaxq́; breuem.
Quidquid enim regitur, proprio nec nititur ortu,
Compoſitis abeunt partibus, atque iacent.
Illa ſed excelſa manet, & ſtat ſede perennis,
Temporis ac nullis motibus obiicitur.
Otia amat, mentem paſcit, non vtilis omni,
Huius tu ſobolem ſed cole præcipuam.
Vtq́; ſolent τ' ἄλλα vitam cumulare benignè,

Τοῖς μετὰ sic φυσικοῖς præfero ego φυσικήν.
Illa tibi effigies monstrabit dextra, mauisque
Accipitre aërio prouida templa Deûm.
Altera pars grauis est elementis atque caducis,
Et Vestæ templo quæ tibi Terra siet.
Attamen his potior cunctis sit relligionis
Semper honos, mentem dirigat illa tuam.

Dum

Dum potes viue.

Ad Achillem Bochium, tanquàm parentem, de sepia.



SEPIOLAM *dum venatur piscator auarus,*
Hæc ludit fuco prompta liquore manus.
Obscuri latices sic condunt, cernere tectam vt
Atramenta vetent, abdita tuta natet.
Sic quibus in promptu modus est defendere vitam,
Cur non effugiunt, séque tuentur ope?
Donec qui cælo hanc animam demisit ab alto
Nos vocet, ac tenebras mutat honore graues.
Displicet immatura Deo mors, nulla potestas
In vitam, supera quod datur arte, tibi.
Polypus euadit, vario dum ad saxa colore

Se induit, atque alias iniicit vſque moras.
Tu qui præſtiteris tantùm, poſsísque, libenter
Ingenij nobis des monimenta tui.

Dulce venenum.



DVM coït in ſuauem mas vſum, vipera hiulco,
Si non vana fides, excipit ore caput.
Poſt vbi ſe ſatiant, & conſuetudine longa
Impleuere, viri præſecat ore caput.
Luxus ſuaue malum, non ſentis, paſcit edendo,
Cumq́; bonis vitam ſuſtulit ante diem.
Quid mihi poſt mortem natorum illa vltio prodeſt,
Quod matrem nixus corripuêre nece?

Gene-


Generosis DD. Marco & Ioanni
Fuggeris fratribus.



LILIA Fuggeris donant certissimus autor,
Hæc, ait, æternùm non modò vere tuli.
Quicquid & addiderit virtus, tempusq́ serenum,
Compositis sit idem ius, sit honosq́ volo.
Spes fuit, hanc cumulant virtus, & fama perennis,
Arma domus propria hæc nobilitatis habet.
Diuitias virgo dedit, haud temerarius error
Fortunæ, idq́ docet largior vsus opum.
Nam quibus hæ caussis veniunt, commercia digna
Orsibus, & laudis nomen habere solent.
Viuite concordes linguarum dotibus aucti,

Crescite multiplici semper honore pares.
Inuideat nemo, noceat minus osor iniquus:
Assiduos meritis vesper, & ortus amet.

Otium sortem exspectat.



COLLE *molendinum paruo statuêre parentes,*
Ventus vt exagitet, farra terántque mola.
Omnibus vt vitam auxiliis ars protegat, ornétque,
Opprimat incautos ne diuturna fames.
Ast ratio melior quùm suppetit vnda perennis,
Flabraq́; dum desunt, ne rota cesset iners.
Ventisona ignauis similes, quibus otia cordi,
Dum sortem sperant, ingeniòque vacant.

Epidemiæ

Epidemiæ potior caussa.

Ad Ioan. Baptistam Rozarium.



TETRAM *nimis describit, ac luem grauem*
Graiugenûm proceres trahentem amarulenter, &
Exercitum in dies magis voracibus
Faucibus, atque odio prementem Homerus optimus.
Apollo nam infestus suis radiis potest
Inficere aërias plagas, nocere plurimum.
Est medicus & simul solet depellere
Noxia, cùm libuit, salutis auctor integer.
Sed quod cadebant bestiæ primùm solo,
Tardius atque homines sensere tabem post malam,
Erectior quia ambulat, nec spiritus

Pestiferos

Pestiferos subitò traxere terræ in intima.
Cælo hæc Achiuis pœna dignè venerat,
Dum nimium cupidi videntur vltionibus.
Sed nos Deum precemur, auertat malum hoc,
Et meritos grauius monere leniter velit.

pestes horrendas describunt Thucid: Athen: Lib: 2; eandem Lucretius Lib. vi. in fin; Virgil. 3 Georg: Ovid Meth: lib: 7. et 15. Manil. Astron. lib. 1. in fine. Agathias lib. v. Fernel. de occultis rer. caus. Bodin. in Meth. 5.

Mens immota manet.



DICITVR *interna vi Magnes ferra mouere:*
Perpetuò nautas dirigere inq́ viam.
Semper enim ſtellam firmè aſpicit ille polarem.
Indicat hac horas, nos varieq́ monet.
Mens vtinam in cælum nobis immota maneret,
Nec ſubitò dubiis fluctuet illa malis.
Pax coëat tandem, Chriſte, vnum claudat ouile,
Lísque tui verbi iam dirimatur ope.
Da, ſitiens anima excelſas ſic appetat arces:
Fontis vt ortiui ceruus anhelus aquas.

Iniuria

Iniuria grauis est omnibus.

Ad Hadrianum Gulielmum Neapolitanum



DVM mollis, bibula & scopulis auellitur vdis
Spongia, vim veluti sentiat illa, tremit.
Quo magis est viuis iniuria, vísque dolenda,
Hinc odium, cædes, vltio mæsta, furor.
Vel leuiter contrà nitenti verba minantur,
Et cessisse parùm dedecus esse putant.
Haurit at vt patiens, multa hæc distendit & vnda,
Tristia non meritò sic toleranda bonis.
Iustus erit vindex cunctorum crimina quærens,
Se huius qui patitur sustineat monitis.
Reddet pro factis quantumlibet ille modestis,

Impia

Impia iudicio fex peritura Dei est.
Nil ominus studeo benè de quocunque mereri,
Officio vincam sic stimulum inuidiæ.

Ambitio.



QVOS *leuis ambitio inflauit, populiq; fauorem*
Muneribus captant, gloria vana subest.
Hosq; vtri pleno assimiles, ventoq; tumenti,
Nam arbitrium vulgi semper inane sonat.
Qui tribui veram sibi laudem quærit, ineptos
Contemnat plausus, iudicioq; regat.
Virtus æternùm celebrat. pietasq; tuetur:
Laus & laudatis est placuisse viris.

Deum velle, non cogere.

Ad Ioan. Auratum.



QVICQVID *ineſt nobis, venit altis ſedibus, omne*
Teq́ iuuat, gratus ſi modo ſuſcipias.
Nam velut è cælo ſi pendeat ætheris hamus,
Si fugis, auerſo non trahet eſca loco.
Scire libet verum, è nihilo qui cuncta creauit,
Os homini, & mentem cernat vt aſtra dedit.
Hanc aliis ſobolem præfert, æterna tueri
Atque velit ſemper iuſſa paterna ſequi.
Præmia proponit largus, pœnaſque luendas,
Non beat inuitos, lenta ſed vſque mouet.
Ni propria, & nobis ignota mente legantur

Felices

Felices, & quos Tartara dira vorent.
It nos, summe pater, tua sit quæcunq; voluntas,
Cælesti immeritos sede locato, precor.

Consuetudo praua.



REBVS *in humanis præpostera opinio vulgi est,*
Ac sequitur morem, quem semel obtinuit.
Scindit enim panem ferro: quid mollius illo?
Dentibus at duras frangit ab ore nuces.
Ista quidem, fateor, sunt consuetudine facta:
Si tamen excutias, quid nisi stultitia est?
Noxia paulatim repunt, nec protinus omne
Funditur in læso corpore virus atrox.

AEsculapius.

Ad Volfgangum Lazium polyhistorem.



QVAE *cernis Medici referunt insignia veri.*
Noctua, cum baculo serpens dextráque salutis
Effigies, pullus, prolixa & barba, galerus.
Hæc Asclepiadi tribuebat docta vetustas.
Vim medicinarum teneat, moderetur & arte.
Sítque valetudo ante oculos, non sordida lucra,
Hinc vigil & norit casus prædicere morbi.
Est sacra gallina, ut victum præscribat amicum,
Et succo tenerum, vires ut conferat ægro.
Γλαὺξ monet & fieri grauiores nocte dolores.
Ac licet imberbi fingatur Apolline natus,

Ip

Ipse gerat barbam, iuuenis nunquam ausit adire,
Suscipere ægroti aut curam, ne lædat ineptè.
Dicitur imberbi natus quoque barbiger, ortum
Vt subita morbum credat mutarier hora.
Ergo prouideat, fugiat'ne occasio segnem,
Currit enim hæc præceps, momēto & perdidit ægrū.
Pileus insignis quia morte eliberat atra.
Hæc sciat Hippocrati cupiens iurare magistro.
Hæc adeò Lazi custodis, clara Vienna
Artis Apollineæ decus, vt te prædicet, ornet,
Et sese tanto securum iactet alumno.

Neminem ſors continet ſua.

Ad ſe ipſe.



N E M O *ſua potis eſt contentus viuere ſorte,*
Alterius ſemper fortunam laudat abundè.
Illiusq́ue locum petit, ac lucrarier optat.
Cæcum odium proprij, quid non mortalia cogit
Pectora? quas curas præter rem vna ingerit hora?
Mercator leuibus tentatus fortè periclis,
Miles, ait, potior: cur non mage caſtra ſequamur?
Belli pertæſus nummoſas prædicat arcas,
Agricolam docti, quos magna negotia vexant,
Gramineas iactantq́ꝫ caſas, victumq́ꝫ modeſtum.
Hi contrà læſi, cùm iurgia dira fatigant,

Ve

Vel cælo segetes tanguntur, mœnibus omnes
Felices clamant, & iugera parua queruntur.
Quod si cælestes illorum vota, phrenesim
Audirent, rueret subitò in contraria vulgus.
Iidem eadem reprobant, properis mutãtur & horis.
Sed Deus omnipotens deceat quid quemq; parauit:
Nec furor, aut stultus leges diis ponere quærat.
Naturam paucis reficis, nec diues egeno
Plus habet: excruciat qui se mercator ad Indos,
Non adeò fruitur partis, nec præmia grata,
Sint maiora licet, quàm cura domestica portat.
Pignore syluestris mites superat quoque pomos.
Caprificus cumulat ficus, non illa sapore
Sed tamen has æquat, cultus quas educat hortus.
Tu, quodcunque venit diuino munere, lauda,
Crœsus an Irus eris non te coquat: omnia præter
Quàm pietas Christi, vanescent puluere in auras.

Generoſa veſtigia.

Ad Iulium Comitem à Salmis.



P E N N A *aquilæ non fert alias, corrodit edendo,*
Et nocet admixtis è propiore loco.
Quis neget alitibus diuinæ munera ſortis
Non eadem, & variè diſtribuiſſe Deum.
Ante ſolet tempus teneros depellere nido
Pullos, & fortes protinus illa facit.
Aduerſum cogit ſolem quoque ſollicitare
Luminibus, lachrymæ ne temerè officiant.
Quo quid nobilius, veſtigia parte tuetur:
Naturam retinent relliquiæ'ue parem.

Sic

Sic quos commendat genus alto à sanguine Regum,
Conspicitur, signum & nobilitatis habent.
Fortis equi proles denso sic puluere gaudet,
Degener haud aquilas vlla columba tulit.
Sic atauos, proauósque tuos imitaris & ornas,
Iuli Salmorum suspiciende Comes.

Amor dubius.



AMOR venustis imminet,
Venustiores ſeparat,
Secutus haud ſemper capit.
Ciens cietur mutuò,
Moratur & ſpe ſubdola,
Amaror hoc ſuauior,
Et nullus eſt amarior.
Habens habetur lubricus,
Quantum addit aufert flammula,
Cor alterat ſæpe & die.
Vt follis eſt in flamine,

Non

Non dat priùs, ni acceperit.
Mora est amor solubilis,
In spe timorem copulans,
In gaudio fallacibus
Ludens, inanes ebrians,
Plenos leui vacuans modo,
Vigens calore frigidus,
Præter nihil dans spem & metum.
Nudum caue puellulum,
Nam vulnerat sæuissimè,
Sed curat haud tutissimè.
Mellitus & subblandulus
Subegit omnes cælites.
I, post tribuas cupidini
Incertior certissima
Dolore qui torquet graui,
Grauem tamen nec senseris:
Virtutis ast amor sibi
Constat, nec aufert præmia.
Ornans suos laboribus,
Memoriam nec immemor
Fraudans, beatis aggregat.
Sollicitet hic nos posteà,
Sequamur, & sequentibus
Annis secuturum decus.

Nullus dolus contra casum.


Ad Stephanum Gentilem, nobilem Genuensem.



QVIS *non miretur nouaque spectacula nuper*
Danubio sunt visa soluto?
Bruma gelu pingues latè compresserat agros,
Plaustra vehebantúrque per Istrum.
Accidit ad Regenspurgum, quæ libera floret
Imperio vrbs, ut vulpis oberrans
Per glaciem & ludens concreto tergore aquarum
Deciperetur, & vda veniret.
Fortè etenim frigus, medio dum Phœbus in axe
Versat equos, dissoluitur vnà,
In partésque abiit glacies, vulpecula præceps

Corripitur, frustóque residet.
Atq. ea dum metuit liquidum contingere flumen,
Hoc iter insolitúmque natare,
Per medium fertur glacie alueum, donec anhela
Vendobonæ capiatur in oris.
Iam dic, quæ casus contra vigilantia prosit,
Quis dolus hæc caueátque futura?

Emta dolore voluptas.



STELLATAM ostentat caudam Iunonius ales,
Sed natibus monstrum celat, inestq; vorax.
Ducitur à tergo vinctus qui pascit edacem,
Quicquid erat lucri prodidit inq; feram.
Cui meretrix forma placet, vtq; colatur inescat,
Perpetuò ad turpes cogeris esse nates.
Has alis, & semper veneraris donec abundas:
Pauperior cùm sis, pellit amica foras.
Heus fuge scorta procul, nocet emta dolore volup-[tas.
E Venere & Baccho, semina mortis eunt.

Neces-

Necessitas dociles facit.

Ad Ioan. Panithy sororium.



NECESSITAS *quid non docet, fames simul?*
Natura sæpe his nam solet mutarier.
Formare vocem Psittacus consueuerat,
Hero & salutem dicere, ac molestias
Lenire Cæsaris: loqui necessitas
Coëgit & Crœsi parentis filium.
Auiculas cernis sitim vt leuant suam,
Trahendo quas appendis vrnulas aquæ,
Clausum penúque rostro vt inquirant suo.
His disce tu prudentius loco, & foro
Seruire, cui ratio est, sagáxque dictio.

Sera parſimonia.



SEMPER eris pauper, reditus ſi ſumptibus æques
Et larga dones munera cuique manu.
Enumera cenſus, ſubduc ratione ſuperſit
An multum, lapſo & menſe quid addideris.
Tempore prouideas, vacua ne ſede morere:
Marſupio reſtet quantula ſumma vide.
Ne ſenium, morbi, duris & rebus egeſtas
Quando vrgent, ludat fundus inanis herum.
Nec tamen inſidias partis, non craſtina verſes
Sollicitè: fructus ſit mediocris opum.

Sapien

Sapientia insipiens.

Arnoldo Arlenio suo.



A CEREBRO sensus manant in corporis artus,
Sed tamen exhibiti muneris auctor eget.
Quod mouet est expers motus, mirabile dictu,
Viuidus & vacua spiritus arce datur.
Haud secus ac cotis ferrum, licet ipsa secandi
Exors, communit, donat acumen hebes.
Qui sua distribuunt, aliisq; cauere videntur,
Cur sapere hos dicas? re sine nomen habent.
Proximus esto tibi, vicinum deinde iuuato:
Sic potes alterna commoditate frui.
Ne cuiuis credas: mores Arnolde vetustos,
Cum libris frustra quærimus Orbe leui.

Tempore cuncta mitiora.



PRAETERIENS quidam vites, nondumq; calore
Maturum arripiens gustat, damnatque racemum.
Quinetiam pedibus contriuit, nullus vt inde
Austero imbueret succo sua labra viator.
Iudicium prauum est hominum, nec tempora norũt
Exspectare, minus cupiunt subiisse labores.
Ardua sunt aditu primo, quæ pulchra fatemur,
Tempore sed fiunt opera, & post mitia cuncta.
Sed refugit penitus botrum formosa puella,
Casta & ἄοινος enim, sidus nec palmiti amicũ est.

Versura inextricabilis.



VERSVRAM facio, quod soluo debeo semper,
Promouet & quantum pes, tenet alter item.
Nomina conficiens mihi non, sed lucror amicis;
Pro me, próque aliis angor, vtrumque nocet.
Alterius qui vult opulentior esse crumena,
Non sua connumerat, pars ea maior abit.
Quanto esset satius curarum demere partem,
Ac tenui, modò sit commoda, veste tegi?
Quid mihi si plumis alienis induor, intus
Nil proprium quod sit postmodò possideam?
Turgida nunc Phœbe lucet, nunc indiga prorsus
Fit: nam quod monstrat, fratris ab orbe tulit.

Mixtus status οὐκ ἄνευ ἄρχοντος πρώτου.




FLORILEGAE quod apes faciunt æstate vagantes,
Illarum mixtas more sequamur opes.
Hæ Regesque Ducesque colunt, his semina mentis
Æterna, & parent legibus, arma cient.
Obseruant proceres, & queîs meliora videntur,
Vnanimes cunctis ritè praeesse volunt.
Nil sine consilio Princeps, reliquúsve senatus
Suscipit, ingestum sicque tuentur opus.
Exercent Martem, sunt his simulacra quietis,
Ignauos pellunt, præmia dántque bonis.
Has tibi proponas: nisi sit pietate Monarcha,

Qui

Qui sine re tantum nomen habere velit.
Ipséque non minùs ac alij sua iussa capessit,
In quibus est æquum, & publica damna cauet.
Talem si quisquam sperat, tu Maxime Cæsar
Es Fernande, tuus Maxmilianus erit.

Non dolo, ſed virtute.



BERGAE (eſt oppidum mari propinquum
Ad pingues patet unde iter Zelandos)
Nuper ſimiola edidit notandum
Exemplum, ſimul & dolo iocoſum.
Nam cùm caſtaneas foco ſepultas
Vidiſſet, cinerem inſtitit mouere:
Prunas ſed metuens, ſtatim catelli
Stertentis pede ſurripit coacto.
Res eſt digna fide recentiori.
Laus eſt alterius malo cauere,
Sed fraus eſt alij dolo nocere.

Frau-

Fraudes nectere qui ſolent malignè,
Quærunt commoda ſic malis bonorum.
Delirant quoque Reguli, Ducéſque,
Sed pœnam luit innocens popellus,
Huius ſanguine diuidunt furores.

Stultitiam patiuntur opes.



MVLTI quos opibus Deus beauit,
Aut Fortuna, ſolent leues abuti
In res prodigialiter nocentes.
Vt queîs ingenium foret benignum,
Et doctas ſequier velint Camœnas,
In faſtus abeant, opes morentur,
Nulli vt conſuluiſſe, nec iuuare
Dignentur, premit vt bonos egeſtas.
Nollem diuitiæ mihi darentur
Iſtæ, queîs decus, & perenniores
Laudes impediuntur, ac mouentur.
Quare ſtultitiam pati venuſtus

Vates

Vates dixit opes, nec expetendas,
Fortunatus eris, ſed haud beatus.

Vita irrequieta.

Ad Ioan. Tonner. I. C.



INDIA *fert apodes, quas tantùm ſuſtinet aër,*
Nuſquam conſidunt, perpetuò error agit.
Parturiunt intra ventrem, ſi credere fas eſt,
Ingens diuini muneris iſtud opus.
Hîc certent miras vates euoluere cauſas,
Ne ſileant, σοφίαν qui profitentur, habent.
Qui requiete caret, curis nec edacibus vnquam
Proficit, hunc auibus dic ſimilem eſſe nouis.

Partium τῆς οἰκουμένης symbola.

Ad Hubertum Goltzium Antiquarium.



EST regio quæuis climate certo
Aëre distincta, & commoditate.
Qualibet haud quiduis terra ferétque.
Africa monstrosa est semper habendo
Antea quod nemo viderat vsquam.
Fert Asia immanes frigidiore
Nempe solo apros, & nimbigera vrsos:
Sed reliquas vincit viribus omnes
Belua, quam Europæ temperat aër,
Taurus vt est fortis, bufalus vnà.
Ergo sit Europæ taurus alumnus.

Afri-

Africæ at index sit tecta Chimæra.
Sint Asiæ immites, vrsus, apérque.

Imprudens facinus.



INSIDIIS *captat mures, sequiturq́; nocentes*
Triticeo felis pellat vt à cumulo.
Fecit at interdum furem malesuada cupido,
Murmure sed furtum prodidit ipse suum.
Non minus ingenio vitium quàm recta teguntur:
In cruce supplicium non bene cautus habet.
Illicitæ & quamuis lateant nos sæpe rapinæ,
Serior at duplici pœna dolenda venit.

Qui-

Quibus Reſpublica conſeruetur.




NON ſatis eſt Regum titulos, inſigne, coronam,
Atque Magiſtratus gerere, vt Reſpublica firma
Stet, maneant leges, pulchris ac rebus abundet,
Artibus efficitur, quæ & non vulgaria dicas.
Nempe ſuos redamet ciues, patris induat artus,
Præſentemq́; ſtatum foueat, nec mutet iniquè.
Legibus, vt reliqui, propriis & pareat author.
Protegat inſontes, vitioſos pellat abuſus,
Hoſtibus occurrat, valeat ſubiecta tueri,
Vnde ſit, accipiat: quid enim imperium ſine neruis
Præcipuè ſtudeat cultum retinere Deorum,

Ine

Inde ſuis promptè, atque aliis tribuiſſe benignè
Quod decet, atque æquum iuris præferre rigori.
Qui moderantur onus, prudentes, quàm ſapientes
Sint magis, exemplis dignos teſtentur honores.
Laus virtutis enim non ſcire, ſed actibus, vſu
Et præſtare: decus ſequitur, ſic páxve perennis
Rectorem, ac ciues longum ſeruantur in æuum.

In morte vita.

Ad Paulum Manutium, &c.



QVI vigiles studiis noctes egere, diésque,
Parcere non oculis, nec voluēre sibi:
Hos celebres lato nomen disseminat Orbe,
Ac simul in cælum fata suprema vehunt.
Mortua non mors est, quæ etiam post funera viuit:
Hoc decus à Musis, præmia tanta ferunt.
Id cute nudatum caput & tuba, vitra, libelli,
Hora refert, laurus, nuntia fama, globus.
Ista ferè Brugis, Viues Lodouice, sepulchro
Addita sunt vestro symbola marmoreo.

Præcocia non diuturna.



PRAECOQVA si carpas & quæ matura colore
Non bene sunt: hora spes alit exigua.
Nempe cadunt fluida, atque sua putredine lucem
Momento simul hæc, interitumq; vident.
Bechion id medicos docuit, quod flore superbo
Ante diem emisso caule statimque perit:
Vt multis dubium anceps commouerit herba,
Hæc duo num soleat pignora ferre sibi. [ipsa,
Floribus haud tuta est properans quoq; amygdalus
Gloria nam præceps vix triduana viget.
Humida naturæ subito vis carpitur igni,
Et viduus sese conficit ipse calor.

Par-

Partes hominis.



PRAECIPVAS nostri partes tribuere vetusti
Diis, quorum ambigua vertitur ordo via.
Linguam Mercurio, cuius facundia pacem
Nuntiat, & Diuûm bella minatur ope.
Splenem Saturno, tetra nam bile senescit,
Tristibus & vitam sustinet ille modis.
Iuppiter ast hepar proprium deposcit, amoris
Namque putabatur fons, & origo noui.
Sanguinis est cupidus Mauors in prælia ducens.
Cor, cerebrum, Phœbi quippe calore vigent.
Sed stomachus Lunæ, quia debilis, humidiórque.
Renes & generis membra Cupido fouet.

Mu-

Musarum, ex antiquis numis Q. Pomponij, veræ effigies, & etymologica vis ex Virg.

Ad Hannibalem Crucelium.



Clio gesta canens transactis tempora reddit.
Melpomene tragico proclamat mœsta boatu.
Comica lasciuo gaudet sermone Thalia.
Dulciloquos calamos Euterpe flatibus vrget.
Terpsichore affectus citharis mouet, imperat, auget.
Plectra gerens Erato saltat pede, carmine, vultu.
Carmina Calliope libris heroica mandat.
Vranie cœli motus scrutatur, & astra.
Signat cuncta manu, loquitur Polyhymnia gestu.

Mentis Apollineæ vis hæc mouet vndique Musas:
In medio residens complectitur omnia Phœbus.

Casus interdum naturam supplet.



DICITE *mortales si quid mirabile dictu*
Vidistis, vel visuros vos creditis vnquam.
Multa ferunt casus, naturæ impletur & ordo,
Quo sit cumque modo. Porcam venatibus vrgens
Quidam consequitur, transfigit cuspide acuta,
Vulnere de medio labuntur pignora, onustam
Interimens matrem fœtus eliberat aluo.
Atque ita quod nixu vix effecisset anhelo,
Porca suam sobolem dat casu mortua viuam.

Sic genitus fertur materno funere Bacchus,
Sit licet ille bimater, at hi gemina quoque fœtus
Eduntur matre; & grauida, & qui perforat hasta.
Sic pariter lucem perdit sus, dátque soluta.
Vbera sic dolitura Atalantæ præbuit vrsa:
Lethiferum & casu mox commoda portat vtrique.

Μισάνθρωπος Τίμων.

Ad Hieron. Cardanum.



ODERAT *hic cunctos, nec se, nec amabat amico*
Μισῶν ἀνθρώπους nomina digna gerens.
Hoc vitium, & morbus de bili nascitur atra,
Anxiat hæc, curas suppeditatq; graues.
Quapropter cecidisse piro, fregisseq; crura
Fertur, & auxilium non petiisse malo.
Suauibus à socijs, & consuetudine dulci
Qui se subducunt, vulnera sæua ferunt.
Conditio hæc misera est, tristes suspiria ducunt,
Cúmque nihil causæ est, occubuisse velint.

At tu dum poteris, noto ſociere ſodali,
Subleuet ut preſſum, corq́ dolore vacet.
Quos nulla attingunt prorſus commercia grato
Atque ſodalitio, ſubſidiisq́ carent:
Aut Dij ſunt proprij, aut falſus peruertit inanes
Senſus, vt hos ſtolidos, vanaq́ corda putes.
Tu verò tandem nobis dialectica ſponte
Donata, in lucem mittito, ſi memor es.

Voluptas ærumnosa.



QVI nimis exercet venatus, ac ſine ſine
Haurit opes patrias, prodigit inq́; canes:
Tantus amor vani, tantus furor vſque recurſat,
Induat vt celeris cornua bina feræ.
Accidit Actæon tibi, qui cornutus ab ortu,
A canibus propriis dilaceratus eras.
Quàm multos hodie, quos paſcit odora canum vis,
Venandi ſtudium conficit atque vorat.
Seria ne ludis poſtponas, commoda damnis,
Quod ſupereſt rerum ſic vt egenus habe.
Sæpe etiam propria qui interdum vxore relicta
Deperit externas corniger iſta luit.

Inſignia

Insignia Mercurij quid?

Ad Adrianum Turnebum.



H AEC *insignia nuntij Deorum*
Sunt, quem Maia tulit citum & volucrem.
Est caduceus anguiger, crumena,
Cancer, & lyra, vespa, gallus, alæ,
Hircus, & canis, hæc notent quid audi:
Promptus ingenio satis, memórque est.
Prudentem eloquio, vagum, sagacem,
Et furem, vigilem, ille fraudulentum
Dat rebus temerarium, ac seueris.
Hircus vim eloquij monet stupendam:
Serpentes, lyra, pacis atque alumnum:

Ne damnis cumulet canis loquelam:
Reddat, est trutina, vt suum cuique:
Est ferrum, insidias necémque vitet:
Caussis eloquio locus, foróque:
Punitur gladio scelus, nefásque.
Concors vt lyra, veritatis eius
Verba vt consona sint, loquantur apta.
Hæc Atlantiadis feruntur ortu
Natis munera parte non petenda.
His mercator habens opus fruatur.
Credo Mercurium præesse multis:
Namque hæc symbola habent suos sequaces,
Et possunt studiis simul dicari,
Quod Turnebe facis, tuos monésque.

Tem-

Temporis iactura.

Ad Pilulam.



PARVULA *cur fallis iuuenes tua signa secutos?*
An reficis vires, muneranúmve refers?
Retia dum volucrem faciunt, an viribus vsa
Tu propriis extra limina salua fugis?
Mox inuenta places, iterumq; redempta moueris,
Ac solita toties isq; redisque via.
Ægris haud verita es certam spondere salutem,
Qua sanos priuas, inq; furore noces.
Exhauris numos, aliena laude triumphas:
Conueniunt nugæ, fictáque verba tibi.
Non hæc lex olim pilulæ, nec abusibus istis

Caupo tuam implebant atria trita manum.
Aut igitur sumptus minuas, & tempora multis
Restitue, aut nunquam sufferat aura leuem.

Dij cœpta secundant.



IN *terram pila quæ iacitur conuisa resultat,*
Et leuat in medium se aëra, prona redit.
Excipit hanc densis quæ apparet nubibus apta,
In cælum & rapiunt conscia vota manus.
In Superis quisquis solitus spem ponere curæ
Audeat, en cœptis protinus astra fauent.

Simu

Simul & semel.



QVAERITVR, & tantum iactatur lite perenni
Vtrum prius fuerit, grauis
Incus, an duro qui verbere malleus illum
Fatigat. Hanc discordiam,
Nobis, quod caussas ignorat, prodit ineptum
Vulgus, nec audit candidos.
Quippe Deus menti nostræ simul indidit vsus,
Poscebat illa cùm duo.
Omnia momento potuit perfecta creare,
Dedit & simul minutula.
Non spatium, aut tempus tum partibus intercessit,
Cor,

Cor, hepar item copulat,
Ne nimis hæc igitur curarum ſeparet ardor,
Nos ſuperet hæc opinio.

Pretioſum quod vtile.
Ad Achillem Mapheum.



M V L T A *ſolent homines pretio dignarier alto*
Rara, quod & longis aduehat vnda locis.
Vana ſuperſtitio, communi dignáque riſu,
Hoc rarum cornu ſed probat vtilitas.
Nam quibus eſt animus poclis miſcere venena,
Omne malum præſens hæc medicina vetat.
Regum theſauros ornat, pretiumq́ rependit:
Hi ſumptus laudem non meruere leuem.

Tem-

Tempeſtiua proſunt.

Errico Memmio.



EXVVIVM *Thirus deponit quolibet anno,*
Induitur pellem mox iterúmque nouam.
Hunc ſi perſequeris, qua ſe ſolet exuere hora;
Pellis, non manibus præda petita venit.
Atque ita fruſtratus longas remeabis ad ædes,
Beſtia theriacis nulla venena dabit.
Vtile qui ſequitur, diſcernat tempora, cauſas:
Anni mille negant, hora quod vna tulit.
Quidque ſuum poſcit tempus, ſunt munera Veris,
Autumni, atque Hyemis, ſit vicibusq; calor.
Colchica Ver, Æſtas ſegetes, Autumne racemos
Das, vrénsque typhas Bruma regignit aquis.

Inter

Interdum requiescendum.

Ad Petrum Ligorium.



EST *cunctis requies tribuenda, nec omnibus labores*
Horis sunt repetendi, animus simul otio leuandus.
Sic pingues oleæ sua pignora non ferunt quotannis,
Alternis sed, & arua noualia per vices quiescunt.
Nil durare potest sine commoditatibus remissis.
Arcum si nimium, subitoq; velis, diuq; tensum,
Frangetur, feret haud alias volucres, dein sagittas.
Laxes nec nimium tamen, otia plurimum nocere
Quippe solēt, faciuntq; habiles minus vsibus seueris.
Ergo est optima temperies, mediumq; vtrinq; ductū.

Nullum

Nullum malum solum: vel,
Vno malo sublato, mille existunt.



HERCVLEIS quanquã manibus fortissima quæque
Monstra, truces domitæ atque occubuere feræ:
Nil tamen inuictum toties vexauit vt hydra,
Cuius ab abscisso vertice creuit opus.
Quóque magis pestem iugulat, capita vndique collo
Aucta renascuntur, cadeq; monstra valent.
Haud secus indignè quos iactant fata, malorum
Augescit numerus, vim cumulatq; dies.
Vno si expediant miseri se, mille recurrunt
Damna, labore nouo pristinus estq; minor.
De illis hoc quoque dic, quos inuida sustulit ætas:

Vno

Vno omnes cupiunt pro Cicerone loqui.
Vel quos exercent lites, ac iudicis ira:
Vna vbi finita est caussa, decem redeunt.

Heroës diuini.



EST Ducibus præsto Diuûm præsentia, cuius
Consilio, & nutu prosperiora gerunt.
Non ruit imprudens aduersos semper in hostes,
Sed cauet, occultis & manifesta notat.
Æneas quoties vmbris subducitur, inq;
Prælia seruatur, dum sua fata sinunt:
Ardua res cautè geritur, tibi, Turne fugacem
Id facit Æneam, at Iupiter hostis erat.

Stu-

Studium & labor vincit.

Ioan. Baptistæ Pignæ Ferrar.



Est vas quod capitur, ritè iuuans auriculis suis:
Ansam sed cupiunt solliciti prendere dexteram
Fortes, atq. alacres quos remouent nulla pericula.
Læuam sed pueri, desidiosi, ingenio ac pigri
Prensant, atque senes qui fugiunt sæpe molestias.
Res cunctas duplici, vera fides, aggredimur modo.
Nã quos ardor agit, vel stimulus laudis, habẽt manus
Promptas, queisq; velint adiiciunt seriò non leues.
Pertæsi studij, quósve labor durior opprimit,
Ansam non superant, & fugiunt sollicitudines.

Victores igitur quos pepulit non labor, aut onus.
Fortes vtilitas quippe manet, dedecus & pigros.
Alphonsus meritò præcipuis te ornat honoribus,
Secretisque suis præposuit Pigna negotiis.
Sed tu Pieriam propterea ne abiicito lyram,
Quæ te tot cumulat muneribus, contulit hoc decus.

Expe

De vermiculo quo sericu[m] faciunt Turcæ vide Simocat: hist: lib: 7. pa: 35. de Bombice Tert: de Pallio ca: 3. paus: El. 2. pa: 92. Sericum quando ap: Rom: fieri coeptum vide ex procop: Glycam part. 4. ann: 377. adde Leonici Var: hist: lib: 2. cap: 69. De serico, id ee verum quod habemus, Jul. Scalig: ad Cardan: de subtil: Exer: 158, ca, 9. adde Marsil. Cagnat: Var: lib. 4. c. xi.

Rex Granatensis colligit tributum singulis an[nis] ex folijs arborum quibus Bombices vescu[n]tur 35000 coronatorum præter magnam bis[...] quantitatem regis usui destinatam.

Expediens experior Bombyx.



DONEC obæratum expedio, ditésque labore
 Pendulus efficio, me impedit istud opus.
Inuoluor Bombyx opere, infelixque morando
 Commorior, sobolem semine linquo tamen.
Hæc ignara mali sequitur quoque fata suorum,
 Nullus & ob lucrum est qui monuisse velit.
Tantus amor pensi, tantum vos serica nostra
 Delectant, vitæ parcere nemo potest.
Res nimium dura est multos seruire per annos,
 Nec retulisse lucrum, se implicitúmque mori.

Grammat. Dial. Rhetor. Historiæ differentia.

Ad Carolum Sigonium.



SVNT tres præstantes diuersa veste puellæ,
Nituntur hæ puellula vt crepidine.
Simplex historia est, lux, custos temporis, atque
Veri parens, quæ gloriam tribuit bonis.
Gratia non ducit, propriis affectibus obstat:
Nil iudicans, alios reliquit iudices.
Ordine simpliciter geritur quod narrat ab ouo,
Hanc pone Rhetorica est sequens loquacior.

Quæ

Quæ coram recitat fœcundas iudice lites,
Vestita longo syrmate atque obambulat.
Et studet effictо lucrari schemate causas,
Dum se venustis venditat coloribus.
Quòd manibus tantum planis, longa & petit hastæ:
Premendo nil vrgens suauiter liget.
Aspera, non habitu sequitur Dialectica culto,
Sagaciter verum eruens puteo abditum.
Cominus adgreditur, victũ & complexibus arctat,
Nunquam remittere iure de suo volens.
Nam pungit, laqueo & captat, ratione regítque,
Trux vinculo illigat potenter anxio.
Assimilata fuit variè quoque lumine Phœbi,
His sed parùm iuuabere absque grammatis.
Illa etenim solidi sunt fundamenta laboris,
Grammaticæ iners statuet nihil perenniter.
Historia vt canis alatus, Rhetorq; Chimæra,
Sit Sphynx Logos, Virgo hæc tenens columnaq́;.

Pulchritudo vincit.

Ex Anacreonte.



NATVRA *cornua addidit*
Tauro, vngulas equisve,
Cursu lepus perennis,
Dentes patent Leonis,
Pisces natare iussit,
Valent aues volatu.
Nil fœminæ restabat.
Concessit at loco horum
Formam, placere possit
Qua, vincere & seueros
Ignes, acutæ tela.
Tantum potest venustas.

Tardè

Tardè venere bubulci.



TARDVS Strepsiades fuerat miser ad dolos notandos,
Queis possit elusisse creditores.
His nam debuerat iuuenis magis artibus vacare,
Densis nec ista nubibus scrutari.
Res si digna foret studiis, labor omnibus locatur
Ætatibus rectè, nec improbarem.
Sed fraudesq; dolosq; senem meditari ineptius nil.
Ridetur, & fit fabulæ impotenter.
Dulces ergo sciat fatuus bene moribus dicare
Dum tempus, ætas apta fertque, natos.

Tolerantia.



FORTIS in aduersis animo non frangitur alto:
Sed contra semper promptius ire parat.
Crescit, & obdurat, iuuat indulgere labori,
Pascitur hic læsis, vincula nulla timet.
Aureus vt folijs & lento vimine ramus
Auulsus simili pignore fronde redit.
Non minor & mens fit varijs exercita curis,
Quòve magis demis, copia maior erit.
Augescunt, non franguntur diuina labore:
Res hominum absumit, perficit illa labor.

Persei

Persei fabula.



PERSEVS Gorgonis abscidisse fertur
Palladis clypeo caput tremendum,
Equo & præcipiti procul tulisse.
Qui se delitiis libidinosis
Dicarunt, gelidi rigent sopore,
Membra & humidiora pituita
Facta post studiis parùm Mineruæ
Sunt apti, ac remorantur aptiores.
Hac tu subsidio fauentis almæ
Vinces Palladis anxio, & labore,
Doctrinámque plagas feret per omnes,

Et ſparget decus eruditionis
Latè alatus equus, vehet perenne
Fama nomen & orbe, poſteríſque.
Stratam Mæonides quoque à Mineruæ
Prodidit Venerem, ac humi volutam.
Hæc ſunt Perſica qui tulit Mycenis
Pignus perpetuum ſui relinquens.
Vel ſic: res bene fortitérque geſta
Scriptores pariunt bonos, alúntque.

Phyſica

Physica & Ethica.

Ioan. Aicholtz medico.



NATVRA *exercet tectis indagine rebus*
Mentem, ne cuiuis cognita mox pateat.
Nempe parens sese vestiuit nubibus atris,
Sollicita vt fœtus cuncta requirat ope.
Id studium præstat, vigil & solertia tandem:
Sit quadruplex mundi quódve reuelat opus.
Huius alumna sed est praxis, mandata capessens
Notitiæ, ac licitis vsibus apta nitet.
Socratis hæc placuit studio: quid enim sine rectis
Profuit exemplis ille φίλος σοφίας?
Hæc sterilem nutrit platanum, dat mitia poma

Altera,

Altera, queis oculos aridum & os reficis.
Viuimus in dubiis, breuis est & vita, sodalis,
Occupet hanc prudens vtilitate moram.

Virtute duce.

Ad Barth Marantham.



NATVRAE *cæcos qui norunt soluere nodos,*
Et caussas quærunt, cuncta notare solent.
Hi flammam dicunt accensum lumine fumum:
Res etiam expertis sæpe probata viris.
Natos in stabulo, obscurisq́; parentibus ortos
Dic fumum, virtus quos facit Orbecani.
Hos lux nobilitat, dignis & honoribus auget:
Sic clarent, tenebras qui pepulere domus.

In spe fortitudo.



CORNVA *qui tendit, volucres iraq́; sagittas*
Mittere in aduersum nititur exitium:
Altera pars ægrè cedit, durissima chorda est,
Laxa nec infractum sternere tela queunt.
Assistens quidam è sociis animum addidit ausis,
Et monet arcum uti totum in sua vota trahat.
Perfer & obdura, reliqua dum parte sequatur,
Ille ait, hoc facinus, munera digna feret.
Commoda qui cupiunt cũctorum, audentq́; nefandũ
Corripere inuexit quod mala turba, scelus:
Auxilio adiuti diuino cœpta remittunt
Haud leuiter, quamuis præpediatur opus.

Et

Et mora nil animos frangit, ſed firmat in omnes
Euentus: tales quid meruere Duces?

Alchymiæ vanitas.



PERPETVO *ſudat cur Carbonarius iſte?*
Diſſociare igni vt mixta elementa queat.
Cur quod nuſquam exſtat, fuit aut eſſentia quinta
Hanc pretio quærit, ſollicitátque focis?
Hoc ſtolidum mandat pectus, nec ſana voluntas.
Quid referet lucri? viuat vt inde ſtipe.
Quæ miſeros hominum cepit dementia ſenſus,
Incerta vt certis ſint redimenda bonis?
Spem pretio nunquam tibi pollicearis egenam,
Soluitur in fumum quidquid ineptus agit.

Iudicium Paridis.



PRIAMIDES *iuuenis, quo non præstantior alter,*
Qui tenuit magni Troïca sceptra senis:
Pallados & Veneris formæ, Iunonis & olim
Arbiter electus, talia verba tulit:
Quamuis magna potes Iuno, coniúnxque, sororq́;
Illius excelsi qui iuga summa tenet:
Non tamen his moueor, curæ mihi non tua dona:
Haud referes formæ præmia digna tuæ.
Frustra tu certare paras quoque Pallas amata,
Ingenij quamuis gloria magna tui.
Namque Venus Cytherea placet, calor ossibus ardet,
Munera

Munera iudicio nunc feret illa meo.
Hoc igitur capias malum, quæ ſuauia reddis
Pectora, quæ'que potes flectere cuncta Venus.
In grauibus mihi ſola dabis ſolatia curis,
Te nihil in tanto firmius Orbe colam.

Exegeſis.

Eſt adeò Stygiis mens noſtra immerſa tenebris,
Vt non quæ bona ſint, quæ mala deſpiciat.
Noxia quæque premunt homines caligine cæcos,
Iudicióque perit plurima turba ſuo.
At reputes quæſo Paridis tu ſemper amores,
Cautius vt viuas, nec tua damna velis.

Dum viuo prosum.



En quercus carie, & fulmine perdita,
Trunco conspicior semper inutili:
At non sedula quicquam
Imis negligo partibus.
Nam dum vita mihi, sensus & infimus
Nutrimenta sinit contrahere vndique,
Nunquam desero suetum
Alendi officium meum.
Prosum trunca, nouis frondibus, augeo
Vestros ruricolæ continuò ac focos.
Quod possum, licet ægra,

Vobis vertice largior.
Vellent si pariter nempe laboribus
Dum viuunt homines sollicitudine, &
Hæc mortalia, vires
Infima licet, exequi:
Longè esset melior rebus in arduis
Cunctorum ratio, prospero & æthere
Nostris afforet ausis
Alto qui sedet æthere.

Ap

Apta recipiunt.

Carolo Clusio.



ROBORA quò puteis, fluuioq; diutius insunt,
Ad lapidum magis hoc diriguere modum.
Paucis id natura dedit contraria lignis,
Cætera dumq; natant, humida facta putrent.
Multis malua grauis, quos vix testacea lædunt,
Mœsta cothurnici nilq; cicuta nocet.
In medico non est semper sanetur vt æger,
Formaq; naturam suscipientis habet.
Thersites nunquam in varium mutatur Vlyssem,
Margites nec adit fortis Achillis opus.
Psittacus est docilis, bos lentus, pegasus acer:
Quolibet è trunco fac mihi Mercurium.

Felicitas indigna, vel superflua.



SPONTE vomunt celsa dominis super arbore molli
Serica vermiculi, crescere cuncta putes.
Non alitur foliis, nec fotu, sed sine cura
Tam leue quod cernis pendulus vrget opus.
Has cuperem messes, hæc gloria ruris adesset,
Mox ego ditarer, millia multa darem.
Hæc fortunatis nimium sed contigit arbos,
Cùm grauat ignauos cura paterna bonis.
Vel sors quos tabulis hæredes grata supremis
Scribit, auetq́ suo mortuus esse loco.
Mi satis est aliquid duro peperisse labore:
Prædia quæ veniunt sorte, pericla vehunt.

Con

Conſcia conditio.



EST *homines inter proprium diſcrimen honoris,*
Hic herus imperitat, ſeruus at ille iacet.
Hanc natura tulit legem mortalibus æquam,
Ingenio magnos vt colat inferior.
Et metus, occulta & cohibet reuerentia ſeruos,
Hos offenſa dolet, nec temerant dominos.
Quóſque Scythæ reduces armis ſuperare nequibant,
Fuſtes, lora fugant, verberibúſque domant.
Sic volucres aquilam, quadrupes timet vſq; leonem,
Maieſtas animis ingerit obſequium.

Curis tabescimus omnes.


Ad Ioan. Hartungum, &c.



VESVIVS ardentes dum moles spirat in auras,
Faucibus accurrens Plinius obstupuit.
Dumq́ nimis caussas scrutatur, fortè vorago,
Et circum exusti corripuere loci.
Debuerat mortis Siculi memor esse poëta,
Qui dedit Ætnæis frigida membra focis.
Incidit heu quantus, propius spectacula rerum!
Dumq́ fidem quærit, materiam ipse fouet.
Num hicquoq. Cyclopes formabãt, Iuppiter, arma,
Ignibus, aut incus verbere quassa sonat?
Error quisq. suus, nimium quos cura lacessit,
Et nisi consumit sollicitudo bonos.

Mutua & Coniuncta.

Ad Francisc. Robortellum.



ÆREA quæ turri auditur campana, monetq́;
 Ad sacra conueniant vir mulierq́; Deûm:
Non à se reboat, pistillo tacta sonabat,
 Hæc operam tradunt mutua, vimq́; sibi.
Quis sapiens dici poterit, si sensa voluntas
 Exprimere, & docta nesciat arte loqui?
Dat sine mente sonum vacuo qui pectore verba
 Fundit, & ingenium quod caret eloquio.
Nec minus exiguam studium sine diuite vena
 Fert laudem, rude nam quid tulit ingenium?
Hæc tu præclarè iungis, cum laude docésque;
 Te schola miratur, te Venetíque colunt.

Voluptatis triumphus.



QVI currus trahitur ceu domitis equis,
Et quo grata voluptas ſedet, & penes
Illam quas comites ſemper habet ſuas,
Naturam illius innuunt.
Eſt duplex etenim. ſuauis, & improba,
Monſtrat læua manus commoda quæ vehat
Hæc, quæ dextra ferat cernis & obuiam.
Albo hæc, illa nigro eſt equo.
Læuam vina, Venus, ſæpe etiam dolor,
Et facti comes eſt quem quoque pœnitet.
Saltantem ſtimulo promouet, & puer

Cæcus curat equum nigrum.
Sed castæ socij sunt bona publica,
Virtutes celebres, gloria, candidi
Lenti auriga, & equi concomitans honor.
Dotes appositas habent.
Tu quicunque sapis, delige dexteram,
Ac læuam fugito: præmia sunt enim
Æterna illius, ast huius ab omnibus
Detestanda bono, & pio.

Dulcia cum amaris.



EST vetus, & cunctis iactata parœmia vulgò,
In damnis aliquid ſemper adeſſe boni.
Id quoque teſtatur ſeries æterna globorum,
Binos namque malos qui moderetur adeſt.
Hanc quoque temperiem ſuauiſſima Muſica ſeruat
Lenior vt voces condiat vna graues.
Ordo Planetarum quibus eſt, & cognita virtus,
Hæc norunt, præſens atque figura monet.

Planetæ.

Annis triginta Saturnus conficit Orbem.
Iuppiter aſſequitur biſſenis, Marſq; duobus.
Sol vno: tercentis quadraginta diebus

Mer

Mercurius, Cytherea nouem cupit addier istis.
At vaga signiferum Luna omni mense pererrat.

Animi sub vulpe latentes.



CVR *mihi blandiris vulpina veste sodalis?*
Quid toties priscam fingis amicitiam?
Odisti dudum, nil credo, dextera fallit,
Et didicit caudam flectere læua manus.
In sylvis æquè non latro terret opacis,
Quàm simulata fides, subdolæ & insidiæ.
Qui me prosequitur, vulgoq́ minatur in armis,
Munio me contrà, cingor & ense latus.
Sed quos cæcum odium vexat, nec aperta voluntas,
Vix magna effugias sedulitate malum.

Tempe-

Tempeſtiuè cauendum cuique ætati.



DVM tibi ſunt vires, iuuenilia pectora, diſce,
Téque operi gnauus nocte diéque para.
Quod ſemel elapſum eſt, nunquã reuocatur in ortus,
Tempus: id exigimus more fluentis aquæ.
Ni tibi ſint meſſes æſtiuæ, frigora lædent:
Ni ſtudeas iuuenis, pauca ſenecta feret.
Oſtrea ſic noctu paſcuntur, pinguia Phœbe
Et fiunt plena temporibúsque cauent.
Nudus ara, ſere nudus, hyems ignaua colono,
Formicisque minus dedecus eſt ſapere.

Ne-

Neglecta virescunt.

Ad Hadrian. Iunium, medicum clarissimum.



VT scandit muros hedera, & latè petit altum,
Sit neglecta licet, nulla manusq́ colat:
Sic multos videas odium quos pressit iniquè,
Virtutem in primo constituisse gradu.
Tandem sponte virent, alit & prudentia dignos,
Vt serpens hederam non sinit, inq́; habitat.
Ingeniij semper florebis laude per Orbem,
Sis licet Harlemi, tûque latêre velis.
Largius effundet subito se gratia Regum:
Οὐκ εἰρῶνα volet plena fouere manus.

Inui-

Inuida quid cogis pia pectora ferre voluntas?
Num reficis pulsa tu probitate sitim?
Nónne magis crucias te ipsam dum rebus opimis
Macrior alterius fis, necat esuries?
Obscurum hac eadem Momum, clathrisq́ remotum
Te sequiturq́ simul Zoïle pœna grauis.

Pri

Priuatum lucrum damnum publicum.



SI membris hominum forent
Sensus, & regerent ingenio sua,
Hæc vt pars cuperet fame
Nutrimenta aliï subtrahere obuia,
Exaresceret & prior:
Nónne hac impietate, atque cupidine
Noceret propriis quoque?
Sic tantum sua qui sollicitant nimis,
Nil communibus & student:
Postremò in laqueum fraudibus ac dolo
Deserta patria ruent.
Priuatis igitur sit modus, vt queat
Vicinus quoque viuere.

Matthiæ Coruini Symbolum.

Symbolo Ioan Regis auctum.



Vt lupa non proprios, alienos sed quoque fœtus
Vbere nutriuit, Roma tibi vnde duces:
Sic rex Matthias Hunnorum maximus auctor
Dum superat cunctos, ingeniosa fouet.
Huius ad imperium concursus totius Orbis
Et fuit inuicto principe dignus honos.
Vndique cogebat veterum monimenta, superstes
Quò foret auctorum fama, decénsque labor.
Contudit indomitos vel solo nomine Thracas,
Et pauidos multo sanguine fudit humi.
Pannoniæ infestæ quis non metuebat habenas?

Tu

Tum Venetûm supplex factus & ipse leo est.
Gryphe nec inferior sacer & tunc coruus Apollo
Est habitus, presso gutture suauè canens.
O vtinam in regnum qui successere, triumphos
Conciperent animo, claráque facta ducis:
Saua sed internis cesset discordia rebus,
Et proceres concors sensus in arma vocet.
Quod nisi iam fiat te Maxmiliane tenente
Iura, salus nulla est pòst reditura die.
Qui memor illius Geticum moliris in hostem
Arma, nec impensis bibliotheca minor.
Qua propter laudes repetet bene grata vetustas,
Nec minor inceptis gloria semper erit.

Alterius indigens perpetua ope.

Adamo Fumanno.



ALTERIVS semper vigili qui cogitur vti
Consilio, & monitis, rebus nec prospicit vltrò,
Hunc similem pinnæ dixit laudanda vetustas.
Nanque illa esuriens conchas distendit hiantes,
Pisciculum vtpote sit, prædã & cumulare natantiũ
Verùm ignara nihil sentit, nec claudit habendo
Escas, ni moneat rostro cancellus acuto,
Comprimat vt subitò prædam communiter aptam.
Optimus est propriis qui rebus prouidet ipse,
Nec temnendus erit, si audit quos poscit amicos.
Exosum cunctis fugias, qui spernit vtrumque.

Fid

Fidei canum exemplum.



SIT *quanta odori vis canis,*
Et quæ fides erga ſuos
Heros, monere quos vides
Poſſunt mei canes duo,
Bombo cui nomen dedi,
Matri & Madel ſimillima.
Hi me ſequuntur per mare,
Terras per, & cunctos locos.
Lutetia hoc frequens tulit,
Videre Romam neſcij,
Νεάν τε καὶ καλὴν πόλιν,

Et Teutona terra procul
Partem qua habetur optima.
Belgas peragrarunt ſimul,
Ducentur & ſpero breui
Dulcem in vocantem & patriam.
Merentur hi famam canes.
Senſus ineſſe cur neges
His beſtiis ſequacibus?

Tirnauiæ patriæ meæ arma.



VRBS est Pannonicis fama inclyta, libera regnis,
Tirnauiam vulgus nomine, réque vocat.
Bela etenim Regum ditissimus vndique cinxit
Mœnibus, ac densam turribus excoluit.
Hæc me produxit, lucémque videre serenam,
Vitalésque haustus dulcis alumna dedit.
Huic rota pro insigni, cælestis vtrinque tuetur
Nuntius, & Christo præside tuta manet.
Vtq; nihil certum in nostris sine numine rebus,
Sic rota, ni firmes, voluitur instabilis.
Hactenus hæc contra sæuissima fata Getarum,

Fortiter hostiles se apposuitque manus.
Messibus, & diues Baccho, mercator abundat,
Armis iure potens, clara Deûmq; metu.
Hanc saluam longos tueatur Christus in annos,
Turcicus hic furor & diminuatur honos.

Tori reuerentia.



TANTA *fuit multis sacri reuerentia lecti,*
Vt dicas nullo concubuisse toro.
Nam post somniferæ surgentes munia noctis,
Mane recens pressos obuoluère locos:
Indicio ne essent vestigia corporis, atque
Connubio reliquis maior adesset honos.
Candaules pereat forma deceptus amatæ
Coniugis, audet enim prostituisse Gygi.
Quanto nos gerimus qui Christi nomina, castos
Atque verecundos conuenit esse magis?

Frontis nulla fides.

Achilli Statio Lusitano.



CVNCTIS *Deus creauit*
Quæcunq. terra & undis,
Signum dedit, pateret
Natura singulorum vt.
Latratibus canis sic
Suæ indicem dat iræ.
Taurus monet furorem
Quod cornibus petendo
Lædat, venena caudis
Serpens gerit, timendus
Et scorpius cauetur.
Est nuda frons, sed index
Mortalibus negatus,
Vt nosse, quis bonus sit,
Nequeas, tibi à malóque
Dum tempus est cauere.
Dextera tenet tabellam
Rasam, notis nec vllis
Insignem, amicus vt sit
Qualis tuus, colis quem
Tot sedulus per annos.
Scribas mihi potes si,
Num candidè, dolone
Tecum egit: at recusas.

Dege-

Degeneres.

Theca loquitur.



Nil habeo præter formam testudinis aptæ,
Atque sinu tueor fila canora meo.
Nulla mihi vox est, non chorda, nullus honósque:
Muta sed assimulor, credita dona tego.
Saltem aliqua ornasset miseram me voce Magister,
Ne rupta in flammas turpiter abiicerer.
Degeneres qui sunt, modò auitaq; stemmata iactãt,
Vmbram maiorum nobilitate gerunt.
Nobilis ex virtute suos sectatur honores,
Et proprium factis quærit habere decus.
Annulus effigie insignis, vultúque paterno
Detrahitur digito non malè Scypiadis.

Tyrannus.



REGIA qui ſolus moderatur ſceptra tyrannus,
Parendum eſt quidquid ſtulta libido iubet.
Ni facias, cogit, cauſſam, dextramq́; minacem
Opponens, miſera ſuſtulit atque nece.
Vt leo rugitu crudeles iniicit vngues,
Sanguineæ tibi ſic ſæue Monarcha manus.
Vtq́ue vorax paſſim rapit obuia quæque ſilurus,
Mitior haud diris Regibus eſt animus.
Cuncta premit nutu, ſubigit, ſimul aſtra requirit,
Lætitiæ cauſſas corripit in gemitus.
Quodlibet vſque licet, ſua pro ratione voluntas:
Iudice me tales pallidus Orcus habet.

Diui-

Diuina humanis non temerè miſcenda.



SCRIBVNT *Deos, qui more hominum pios*
Lugere, cœnas lautáque prandia
Sequi, timere quod dolétque:
Nulla fides tribuenda fictis,
Vani poëtæ talia prædicant.
Deum ſeueris iſti & honoribus
Priuant, Polis terrena miſcent,
Pœna ſed hos rapiet luenda.
Diuina præſtat viribus infimis
Adiungier, nam conueniunt magis.
Rectè Plato cæcum refutat
Ergo ſuum ſapiens Homerum.

Ca-

Canis queritur nimium nocere.



NON ego furaces nec apros insector & vrsos,
Applaudit nec hero blandula cauda dolo:
Sub iuga sed mittor validus, traho & esseda collo,
Quæque leuant alios viribus vsque premor.
Per vicos ductum me alij latratibus vrgent,
Miratur casus libera turba meos.
Quàm fueram charus dominæ, si paruulus essem,
Non mensa, lecto nec caruisse velim.
Sic multis vires, & opes nocuere superbæ:
Contentum modico & profuit esse statu.

Nusquam tuta fides.

Ad Petrum Sambukij parentem suum.




DVM rigidos artus elephas, dum membra quiete
Subleuat, assuetis nititur arboribus:
Quas ubi venator didicit, succidit ab imo,
Paulatim vt recubans bellua mole ruat.
Tam leuiter capitur duri qui in prœlia Martis
Arma, viros, turrim, tergore vectat opes.
Nusquam tuta fides nimium ne crede quieti,
Sæpius & tutis decipiere locis.
Hippomenes pomis Schœneida vicit amatam,
Sic Peliam natis Colchis acerba necat.
Sic nos decipiunt, dedimus quibus omnia nostra:
Saltem conantur deficiente fide.

Pro

Pro ignotis ſumere laborem.

Georg. Tanner.



REBVS *pro minimis ſæua pericula*
Stultum eſt ſuſcipere, & conſequier decus
Nullum pro dubiis nempe negotiis.
Graij cur Helenam præcipites velint
Conductam in patriam quam tulit Ilium?
Paucis viſa fuit, libera nec foret
Vllis cognita qui luſtra terunt duo.
Pro picta poterunt nec ſibi conſcia
Annos tot leuiter ſumere ſponſula.
At nos in grauibus quod ſupereſt breuis
Otij, non ſtudio gloriolæ leuis
Ponamus, patriæ rebus & aſperis

Tot

Totos ingenio, ritè laboribus
Donemus: recinet posteritas bona
Famam, sic modica & vita erit utilis.

In labore fructus.



VT, Palamedis aues lapis, & concordia iungit,
Excubiis dignum rostráque munus habent.
Hoc gentilitij Sambuco schema dedere,
Æternum ut studiis proferat Orbe decus.
Est bicolor supra rosa flore decentior omni,
Afflet ut ornatam suauior aura domum.
Et vigili, & forti cedet victoria laudem,
Quæ placidis semper moribus æqua venit.

Ami-

Amicitia ſordida.

Ad Octauianum Ferrarium Mediolanenſem.



SI ſpeculo deſit plumbum quo reddere formas
Et ſplendore ſolet cuncta referre ſuo:
Quid vacuum inſpexiſſe iuuat, labor omnis inan
Dum penetrant radij nullaq; imago datur.
Haud ſecus eſt quoddam genus ad lucroſa paratu
Quod petit, ac repetit, gratia nulla tamen.
Accipiunt quicquid donas, veſtigia nuſquam
Cernas, officium quîs meminiſſe velint.
Debet amicitia iuncti par eſſe voluntas,
Huius imago tua eſt, ni ſit inanis amor.
Hoc quis te melius nouit, teſtatur amicis
Ferrari, qui me diligis vſque memor?

Ant

Antiquitatis studium.

Ad G. Schirletum.



OMNIA *consumit tempus, longámque senectam*
Quid videt artifices quod peperere manus?
Imperio fatum eripuit monimenta, vetustas
Ne quid duraret, conficerétque situs.
Nunc Deus in frugem veterum virtute probatam
Vt vocet, en monstrat marmora Roma, tibi.
Effodiuntur opes irritamenta bonorum,
Nec poterit nummos vlla abolere dies.
Ærea testantur fuerint quibus aurea secla,
Multorúmque monent quæ tacuere libri.

Cedendum, ſed non aduiandum.

Ad Nicolaum Iſtuanfi &c.



FATALI, *& grauibus premitur quando leo morbis,*
Simiæ proiicitur: hæc medicina mali eſt.
Inuidia afflictos, ſcelerata & mente tyrannos,
Cur non ſic ludas, ſimioláque leues?
Hæc ſimulat cuncta, atque imitatur, ludere nouit;
Hoc morbo ægrotis conuenit iſta fames.
Sed tamen his vltra metam placuiſſe caueto,
Peſtis adulator, mórsque inimica fiet.
Aulas dum ſequeris ne te peruertat abuſus,
Sit tenuisque licet, ſed bona ſimplicitas.

Sola

Sola culpa præstanda.

De Antiphonte poëta à Dionysio damnato.



N V L L I V S *sceleris qui conscius esse putatur,*
Cur fugiat mortem? funere maior erit.
Namque bonus culpam si præstitit, omnia soluit,
Sunt reliqua exigui temporis, acta fluunt.
Labe igitur vacuus vates, quem sæua tyrannis
Supplicio addixit, corripuit socios:
Qui faciem ut sontes velabant: Quid pudet huius,
Cras ne quis videat forte timetis, ait?
Prætereunt hora crudelia iussa tyranni,
Morte breui longam cur cruciare diem?
Tantus amor veri, tantum sibi conscia virtus

Fidit, & oblitum non ſinit eſſe ſui.
Socratis en quantum ſe mors diffudit in æuum,
Solaménque mali noxia nulla grauans.

Simile à ſimili non læditur.



E S T *quibus in furias animus, denteſq́ paratus,*
Morſibus haud inter ſe appetiëre canes.
Semper & imbelles mordent, quos cedere vires,
Aut anni cogunt, vt ſuperare queant.
Piratæ rarò ſeſe, prædóque latrones
Offendit, metuunt conditione pari.
Creſcit at in duris virtus, maiora meretur,
Abſtinet à victis, inq́ ſuperba ruit.

Ius

Ius & Philosophia.

Ad Aon. Palearium.



SERGIVS *implicitas vitio, & seruire coactas*
Ædes vendiderat: quas cùm Gratidius vltrò
Reddere venales statuisset, subticet eidem
Seruitium, prior idquod norat herus pretiumq;
Testaretur onus, sed fraudibus euocat emptor
Auratam, & coram tractari iudice litem
Exposcit, vitium siluit quod venditor illi.
Sed quid opus fuerat domino authorique subinde

Significare malum expressè, qui conscius esset?
Proin Sophiam, rectorum & fundamenta professi,
Mentem, animumq́ꝫ vident, agier bene & inter a-
micos
Præcipiunt, ius sed linguam factumq́ꝫ recenset.
Nititur externis potius, nec paruula lucrum
Fraus dirimit, certis lites claudantur vt annis.
Est sapiens igitur qui res intelligit altas,
Et sibi quæ constant semper non obuia quæque:
Consilium prudens variat sic rebus agendis,
Et tractat sese multò res inferiores.

Epit

Epitaphium Lotichij S.



QVIS situs hac urna? Vates, medicusq́ salubris
Lotichius, nomen cuius in Orbe viget.
Nemo hunc Stigelio celebri cultoq́ Sabino
Posthabuit, poterat quos superare breui.
Qui fluuij cessant, quid olor, tristésve puellæ?
Quid circum lauri, quid medioq́ senex?
Gallia, Pierides, Germania, Tybridis undæ,
Hunc Phœbo & defles nate, silétque melos.
Arcus quid pluuius superest? Hoc fœdus amicum
Vestéque res hominum versicolore notat.
Sollicitos iuuenis bello, Musisq́ labores

Hîc peregrè, casus sustinuitque graues,
Post vbi sedatam patriam, mitésque sorores
Aönidum sensit, dat Medicina locum.
Quid tellus, mare, cælum, aër, quid lucidus ignis
Continet; hunc meritò quod latuisse putes?
Occidit heu properè: at vitam monimenta coæuan
Authori reddunt, posteritásque memor.
Hac doctus lauro cineres tege, care viator:
Dícque vale: iunget nos rediuiua cohors.

In delectu copia.

Marco Laurino Brugensi.



ASSIDET *in viridi, tot picto & floribus horto*
Virgo puellares inter habenda deas.
Cúmque nihil desit, dubitat textura corollam,
Delectus florum quippe moratur opus.
Huc illuc spectat, mens est ignara decenter
Quæ inserat, aut demat, misceat apta loco.
Quid sine iudicio prodest habuisse tot auri
Pondera, ni videas queîs tribuisse licet?
Vera loquor, quot sunt inopes quos copia fecit,
Sumere dum metuunt, inque inhonora locant?

Auaritia huius sæculi.

Ad Anton. Muretum.



ÆDIBVS *his valuæ geminæ, quarum altera culta*
Immittit partes, donáque portat hero.
Altera sed vacuos ad sedem ducit inanem,
Clauditur illa inopi, muneribusq́; patet.
Has procerum clausas Musis nunc repperis ædes,
Et sensus Domini porta biualua gerit.
Desine mirari, cur sæcula nostra poëtas
Tam raros habeant, nil dat auara manus.
Si Mæcenates fuerint, Flacci, atque Marones
Existent, grandi bella tubáque canent.
Exsulat ingratum carmen, facundia passim

Temn

Temnitur, & cultis artibus aula caret.
otores bibuli nunc prima sedilia, honores,
Et cyathos gnari vertere, cuncta tenent.

Sors ingeniosa.



S AEVA *Magis quantum peperit discordia regnū,*
Venit in alterius sed leuiore manus.
At nisi consensus firmasset sortis honores,
Et dolus, hinnitus nil potuisset equi.
editio in dubium reuocasset sceptra Darii,
Atque trucidasset millia multa furor.
it velata oculos præceps Fortuna, rotáque
Stet licet, in cunctis ingeniosa valent.

Cælum,

Cælum, non animum mutant.



NON iter, aut cælum mores formare benignos,
Sed natura solet, qua moderata iubet.
Multi quos mitis natura finxerat ordo,
Externis vitiant se maculántque locis.
Quodq; nemus Tygres prohibet, saltusq; Leones,
Pòst feritas maior quàm fuit ante, venit.
Laus est tot populos, mores, vidisse tot vrbes,
Sed quis amat quàm te cura paterna magis?
Erudiet quis te, primis quàm qui educat annis,
Vt senij fias dulce prementis onus?

Inteſtinæ ſimultates.




QVAE vires, regioq́ suis affligitur armis,
In partésque trahit lis inimica domum:
Paulatim abſumit mala mens, diſcorsq́ voluntas,
E'que ſinu exiſtunt flamma facésque ſimul.
Quippe ignes tectis immiſſi incendia præbent,
Mars furit ante fores, Mulciber intus agit.
Omnia conflagrant, nemo eſt qui tecta madore
Occupet, exuſtis quique miniſtret aquas.
Ignem igni, aut oleum potius diſſenſio iungit,
Acrius vt foueat pabula, cuncta ruant.
Pace frui qui vult florenti, ſéque, ſuósque,

Amoueat

Amoueat propriis iurgia dira focis.
Nulla adeò perimunt, quàm quæ se mæsta venena
Mutua confodiunt dixit Aristoteles.
Obuiat his igitur prudentia, munit & arte
Lethiferum vt pellat prompta saliua malum.

Pœna sequens.



QVI *furto abstulerat non paruo pondere carnes*
Coniicit in saccum, collo onus inde leuans.
Dumq; fuga celat facinus, diuertit ad ædes
Hospitis, & vacuat pocula larga siti.
Corripitur somno defessus, donec inertem
Strangulat appensum, sponteque punit onus.

Pericu

Periculum authori nocens.



CEPERAT *exiguum nuper pirata phaselum,*
Et seruos quotquot prenderat esse iubet:
Sed leue concessit stolido victoria lucrum,
Prædaq́; piscator fit, dominusq́; minor.
Nam dum capturam solitas vectabat ad oras,
Æolus aduersis vela repellit aquis.
Titaniumq́; furor vinctos ad littus amicum
Sistit, heri collo vt vincla soluta ferant.
Mobilitas quanta est sortis, præcepsq́; volumen,
Quàm subitò authori damna parata nocent.

Defensio

Defensio publica.

Ad Barth. Rom. I. C.



CVM latitant leges, terrísque Astræa relictis
Euolat, an solis legibus vltor aget?
Vindicibus num fas armis occurrere dextræ,
Quæ capiti intentat dira pericla tuo?
Iudice me quando potior sententia, vísque
Armorum est, subitò publica tu arma cape.
Ridiculus fueris, si littera vertat in hostem,
Codicéque armatum persequerere reum.
Et licet, & semper licuit defendere nostra:
Ritè magistratus vindicat, vltor adest.
Is si deficiat, cur non armemur in hostem?
Sumere in armatum quis vetet arma bonus?

Noctuæ cur platano abigantur.

Natali de Comitibus.



EST *pietas erga natos, στοργή τε πελαργοῖς,*
Casibus aduersis prouidet vndique amor.
Hæc, quoniam insidiæ nocturnæ sæpe diurnis
Sunt magis obscuræ, peruigilare solet.
Noctua cùm pullos cupit & remouere tenellos,
Mox foliis platani territa, & acta fugit.
Sed cur hanc tantùm fugiat si noctua, quæris,
Occultam præter, caussa subesse potest.
Est sterilis, quare semper contraria nocti,
Proli nocte operam quippe subinde damus.

Vel quia nox studiis tribui melioribus aptè
Debet, quò vtilitas digna sequatur opus.
Noctua cornicis pœnam, luménque veretur:
Dum mèdia illius surripit oua die.

Leuitas secura.



FLVCTIBVS *immensis parua est iactata tabella,*
Sed leuitas tuto littore sistit onus.
Altera difficili premitur dum pondere, cedens
Nil undis fundum mox subitura petit.
Vanus, adulator, mendax, variúsque per orbem,
Noxia declinat, dum leuis aura agitat.
Sed quos relligio constans, moréfque probati
Inuidia obiiciunt, prompta pericla vorant.

Οὐκ ἔστι μιάσματος γῆρας.

Ad Petrum Ramum.



CAELICOLVM *Æneas regi dum in littore mactat*
Taurum, aras viridi fronde operitq; Deo:
Vellit humo virgulta, sed hæc, mirabile dictu,
Emittunt guttas sanguinis, omen habent.
Threïcij regis facinus, Polydore, sepulchrum,
Omnes quod latuit, detegitúrque tuum.
Quod scelus est vnquam commissum, quæ loca, tēpus
Id reticent: tandem quin patefiat opus?

Si taceant cuncti, lapides syluaq; loquuntur:
En cædem in pœnas virga cruore vocat.
Hospitium Macarcus violarat cæde sacerdos,
Pœna sed in natos mox recidiua fuit.
Ob scelus inuisi, quos versat praua voluntas,
Et toties mutat, quid probitatis habent?
Horrenda insequitur furiarum & conscia pœna,
Cocyti æternum perluet vnda leues.
Non iure, aut lingua cedet Minois acumen,
Antè precor lapsis mens tamen vt redeat.

Princi-

Principum negligentia.

Dialogus ad Ioachimum Camerarium.



QVID Polyphemus habet? trunco vestigia primo,
Errat balantum grex, ſequiturq́ ducem.
Cæcus at eſt cuſtos, cui vino lumen ademptum,
Solaturq́ nouum fiſtula rauca malum.
Nónne hæc conueniunt noſtri queîs credita cura eſt,
Princeps, ſeu paſtor ſit ratione carens?
Deliciæ priuant quos cernis luce perenni,
Suauibus ac hilares otia rebus agunt.
Heu cuncta in peius labuntur, fata ſuprema
Nos captant, reliquus quis pietatis honos?

Hæc te vix melius quisquam moderatius vna,
Scriptis nunc merito quemque manere solet.
Crassus ego tetros fugiendos semper abusus
Censeo, sed veterum cuncta leuanda nego.
Quisque suo sensu regitur, conscendit Olympum,
Nec monstrant gressus qui voluere duces.
Vnum Cyclopes oculum, sed fronte gerebant,
Aëre quo in medio fulgura prospicerent,
Ac superum vates quæ essent ventura monerent,
Nunc Polypheme orbo lumine lumen eris?

Cura

Cura publica.

Petro Victorio.



OBSCVRAS *penetrat nubes, venatibus instat*
Falco, sed aërium non premit ulla sitis.
Non ego declino, cumulátque volatus honores,
Aucupio mens est dedita tota suo.
Contulit hoc natura diu, ut seruire per auras,
Et præda dominos exhilarare queam.
Nulla fames perdit mentem, iuga summa pererro,
Nec mora, crede, Orbis si peragrandus erit.

Hoc vtinam præstent, quos publica cura fatigat:
In medium, vt sibi quàm, consuluisse velint.
Tædia perpetuò superas, victoria nunquam,
Quam peperit studium, est interitura tibi.
Restituis veteres, ac donas luce sepultos,
Hoc præstare vtinam te monitore queam.
Non labor, aut sumptus desunt, sed viribus impar,
Vmbram, si potero, consequar vsque tuam.

Ordo.

Ordo.

Ad Ioan. Sturmium.



EST via quæ potus, atque escas ducit in aluum,
  Est quoque quæ vitam suppetit aura leuem:
Hos natura sagax discreuit ritè canales,
  Vt certas seruet quilibet ordo vices.
Si mica, aut gutta infestet spiracula vitæ,
  Exoritur tussi, sæuaq; damna mouet.
Ordine nil melius, nocuit confusio turbæ,
  Constare & numeris dixerat omne σόφος.
Hoc tu Rhetoricis scriptis, vitamq; per omnem
  Seruandum Sturmi maxime sæpe doces.

Virtutem honor sequitur.

Ad ampliss. Anthon. Verantium Episc. Agriensem



*M*ARCELLVS *duo templa struit, virtutis, honorũ*
Hoc sed non patefit nisi præstes inclytus ausis,
Vnica nam porta immittit, nec peruia cuiuis.
Præposuit templum virtutis, limina tanquam
Alterius: quisnam leuiter tot præmia laudis
Consequitur, multùm ni sudet, & algeat heros?
Ardua virtutis primùm ergo semita, victa
Molliter in suaues demum deducit honores.
Horum sint memores, famam qui fortè perennem
Exoptant, solidis seséque laboribus ornent.

Quod tu es, si quisquam, toties legatus in omnes
Europæ atque Asiæ partes, constanter adeptus.

Nihil negligendum.

Ad Ioannem Listhium Secretarium Cæsaris.



IMPVLSAM *ventis, & forti remige nauem*
Quis remoram dicat posse tenere mari?
In minimis etiam vis est, mora qualibet ingens,
Ni videas, præter spem remoratur opus.
Quæ ausa est Actiacam subitò tardare carinam,
Et prohibet cursus, parua echeneïs erat.
Nil igitur spernat, cui magna negotia curæ,
Qualia pisciculus semipedalis agit?

E fisco

E fisco ne viscum.



THESAVROS *habeant reges, mille arua supersint*
Vt prohibere queant vim, vitiumq́; simul.
Exornent iustos, sua præmia quisque reportet,
Legibus ac vigeant sceptra secunda suis.
Sed fiscum cumulare nefas, nisi iure bonorum,
Quamq́; premas siccam proiice spongiolam.
Caussa mali desit, Princeps procul absit auarus,
In viscum ne abeat fiscus auaritiæ.
Neu vitiet mulctis stomachum, crudis nec alatur,
Postremò sitiens ne exoriatur hydrops.

Fœminei sexus querela.



Cur nobis eminus, turba sumus stultitia leuis,
Pulchras qui redament, coniugio moxq́; pecuniam
Tantam conferimus, compedibus nos uti vinciant?
Cur non consilio, ac arbitrio viuimus ut libet,
Hæremus domini, non socij, iudicio domi.
Coniunx perpetuò, vana fides, militia rapi
Sese peruigilem cum clypeo, & castra sequi docet.
At nostra est ratio durior hac, conditio & minor,
Nam præstat gladio vim pepulisse, haud superarier.
Hæc posset meritò fœmineum verba genus loqui:
Auctor connubij, sollicitè qui instituit, Deus

Ni

Ni mandasset: eat fœmineus sub iuga coniugis
Cœtus, subiiciat se capiti & membra velut suo.

Celata virtus ignauia est.



QVID doctrina potest nisi publica scripta supersin
Gesta ducum recitet si bona posteritas?
Aurum dum latitat, nil venis atque cauernis
Profuerit, fulua ni effodiantur opes.
Sic virtus celata parùm commendat honores,
Nec magis ac mensa tecta lucerna micat.
Ingenio præstans, raris virtutibus auctus
Proferat in lucem pignora, clarus erit.

Pie

Pietas in amore fideli.

Ad generosum D. Casparum Pruymer, Baron.



QVAE *sit relligio constans, nec prodita vanis,*
Hac monet artifici picta figura manu.
Christus ab æterno qui nos dilexit, iniquum
Et propria voluit morte piare malum:
Insigni exemplo mandat fiducia constet,
Nec modò sit tectis condita pectoribus.
Non quod in humanis quid fiat nesciat ille
Mentibus, aut quicquam posse latere putes:

Sed

Sed quo nos amor, ac recti testatio fida
Prouocet exemplis, mutuo & officio.
Nos etenim alterius virtus nisi luceat actis
Et latet, & citius fallere sæpè potest.
Hæc vbi clamosæ monstrabunt relligionis
Rixæ, pax Christi, pax simul orbis erit.
Sed nimis ex odio geritur res, ambitionis,
Maiórque vtilium quàm pietatis amor.

Co

Conscius ipse sibi.



QVEM regium vexat malum,
Et bilis occupauit externam cutim,
Citrinus vt totus siet.
Oculos color suffundit idem, & impedit,
Vt quicquid aspicias, tibi
Videatur omne auri colorem habere, nec
Propriis referre rem notis,
Vt fallier queas, amicus ni monet.
Idem accidit vitris, color
Cùm tinxit, hac simile nam habent in omnibus

Quæ cernis & cognoueris.
Nec secus iniquum qui gerunt animum, malè
De aliis sinistrè & iudicant.
Quod sunt malorum conscij, primi & duces,
Sic arguunt sese mali.
Ouem lupus rapiens remulcet caudulam.

EPI

EPITAPHIVM GENEROSI ADOLESCENTIS GEORGII Bonæ Transyluani, tanquam fratris, qui obiit M.D.LIX. ætatis suæ XX. VI. Septemb.



Ὤλεθ' ἅπασ' ἀρετὴ πάτρας λιπόνησμος ὁ Βῶνα,
Θαῦμα χερσογενῶν τῶν φίλος ἔσκε θεῶν.
Ἥρπασε τοῦτον πανδαμάτωρ μοῖρ' οὐκ ἀέκοντος
Αὐτοῦ ἐπ' αἴγλον, καὶ τριπόθητον ὄναρ.
Ὦ φίλοι, ὀρφανικὸς σὺν πᾶσιν ὀδύρεται οἶκος,
Ἡγητῆς κήπου φροῦξεν ὅδ' ἀθερίου.

Τὴν σοφίαν μεγάλου, πραπίδας, καὶ τὰς μελεδῶνας
Ἡ μὲν λυσιπόνῳ θυμὸς ἐν ἡσυχίᾳ
Εὐσεβέαν ἦν παῖς ἀγαθός, τῷ κρείσσονι ὀπηδεῖ,
Ἀενάῳ σύνεδρος νέκταρι καὶ ἀμβροσίᾳ.
Νείοθι τῆς πέτρης τὸν ἀδωροδόκητον ἀκεστὴν
Προσδέχεται κριτὴν, τοῦ πλέον ὅσσ' ἂν ἔφυ.

De eodem.

HOC spes in tumulo patriæ iuuenilibus annis
Conditur æternùm sed valitura fides.
Hac pietas Musæ, virtus, & candor amicus
Mole subest, Christi dum mora cuncta tegit.
O quantum eripuit misero mors improba regno!
Et decus, & famam quæque dolenda tulit.
Sed tamen optata superest, sempérque vigebit
Illi propitius quam dedit arce Deus.
Cumq́ tuba exciuit rediuiuos ante tribunal,
Hostes qui certo iudice vincet, erit.
Sic fit mens propior cælo, quò longius imis
Tempore secedit, perpetitúrque nihil.
Hæc posuit charo Præsul monimenta nepoti
Strigonius, fletu prosequitúrque locum.

Iacobus Maniquet.

RAPTVS es ante diem in cælũ Bona, ne bona terri
Vlla superstaret virtus, néve amplius ullam
Pannoniæ infelix spem libertatis haberet.

Fides non apparentium.

Ad Michaëlem Brutum.



NILIIVR *inuisis certò fiducia rebus,*
Alto flexiuagus piscis vt amne latet.
Est tenebrosum iter, angustumq́ ad templa Deorum
Apparent minimùm, sunt manifesta tamen.
Sic nos qui in cælum Christus reuocauit ab Orco
Credere promissis, tutáque verba iubent.
His te committas, nec aget te deuius error,
Quæ mora securos fallere, quisve potest?
Ingenium tibi diuinum est, facundia rara.
Suppedita hæc magnis, non mihi Brutus eris.

Ad inclytum Bohemiæ Regem Maximilianum.

De Turcarum Tyranno. Anthonius Verantius.



FORTVNAE *illecebris nimiũ tumefactus, et haustꝰ,*
Iam quocunque trahunt, it, ſua vota, furens.
Quæque gerit, vi cuncta gerit, gerit omnia fraude,
Perfidia violat fœdera, pacta, fidem.
Quodq́; magis noſcas ex omni parte tyrannum,
Impius in proprium ſæuit & ille genus.
Nec minus inſidiis fallax peſſundat amicos,
Deuorat & paſſim proxima quæq; ferus.
Sic non officiis, non fuluo flectitur auro,
Sic ius, fas, æquum calcat & odit atrox.
Fruſtra igitur pacem fruſtra omnia cætera tentas,
Enſe opus eſt, quoniam quos timet, hos & amat.

Fortissima minimis interdum cedunt.



EXARDET *subitò taurus, sua cornua in omnes*
Ingeminans, rubras si vestes conspicit antè:
Ingens sic Elephas furit albo sæpe colore,
Irrequietus init pugnas, & prælia miscet.
Vstos sic metuunt pannos ceruiq; fugaces,
Et gallo pauidus leo fit: minimisq; ferarum,
Et rabidi generis franguntur pectora rebus.
Nemo suis adeò confidat viribus, vt se
Non putet à longè vinci posse inferiore.
Occulta est horum quoque, nec bene cognita caussa.

vide § xi. Instit: De oblig: q ex de licto. lib. 4. Sen: 3. de ira 30. c. et Lud. cæl. l. 16. cap. 11. plu: de fr: Alex. Theo. Simoc. ep. 77.

Mediocribus vtere partis.

Ad Ioan. Andream à Schuambach.



FORTVNA quem mediocriter fouet potens,
Et ritè viribus clientis consulit:
Non ipsa debebat relinquier statim
Vanè, nec asperis mutanda lauia.
Vt si quis è feracibus temerè velit
Hortis vel accliui, bonóque colle mox
In verticem dubiè suam sortem leuis
Olympicum committere, hæreat globus
In scrobe iactus petendo maxima,

Vt nec queat sursum deorsum nec magis:
Non ille cautior catello improuido
Fuerit, secutus ossis est qui umbram fame,
Non quod tenebat ore certum iam suo.
Incertiore certa non mutaueris.

Sympathia rerum.

Ad Ioan. Andream Mathiolum.



ABDITVS *in rebus medicis consensus habetur*
Et morbis, sine quo nulla medela valet.
India gaiacum mittit, quo Gallica labes
Tollitur, in tenues sudor abitq́; vias.
Sunt maris ad Lunam motus, est solsequiive
Ad Phœbum, nomen quod tulit inde suum.
Succina sic paleas, magnes cogitq́; metalla,
Et subitam bubo contra epilepsin adest:
Hac quando infantes teneros infestat acerba,

Tr

Tractatus manibus concipit ille malum:
In ſeſe occultum ac deriuans vſque venenum
Corruit, & veluti fert miſeratus opem.
Hoc nempe alterius flecti, ſuccurrere damno eſt,
Optatum ſine ſpe præſidiumq́ue venit.

Ar-

Arguit fortuna virum.

Ad D. Ioan. Baptistam Beber. Procancellarium.



In pelago quærunt Ligures corallia quæque,
Ac primùm viride apparet, liquidúmque videtur.
Dumq́; recens trahitur, pretio non æstimat vllo
Mercator, donec poliatur, firmet & aër.
Æthere nam solidum fit mox, gratumq́; colore,
Et pretio crescit manibus dum tractat auarus.
Arguit & fortuna virum, durive labores,
Non domus aut modicis quæsitum patribus aurum
Non latitas igitur, virtutum exempla probando,
Sollicitus semper qui tanta negotia versas,

Casa

Cæsaris & rebus seruis, secreta tueris.
Laudabunt igitur præsentes te atque nepotes.

Conscientia mille testes.

Ad D. Ioan. Khefubillerum Cubicularium Cæsaris.



VIRTVTEM *nullæ violant mordacibus aptæ*
Linguæ, nec rupes qualibet aura ciet.
Colligit vt sese cùm iniuria vexat echinus,
Ne leuiter noceant, commoueántque minæ:
Haud secus æterni, ac veri mens conscia contra
Mendaces propria sæpe tuetur ope.
Ob lucas testes mille, atque pericula mille,
Negligit, insanus ni furor intus agit.

Nuſquam eſt qui vbique eſt.



SAXVM *ſæpe volubile*
Nuſquam quod ſteterit, vel ſemel hæſerit,
Haud limo tegitur graui:
Nec motus faciles impedit æquoris.
Sic qui fortè laboribus,
Et longis ſtudiis fine carentibus
Certam non ſtatuunt moram:
Incertis dubij ſemper agunt locis:

Nec prosunt patria sua,
Nec genti propria, his nec citò creditur.
Ergo sit modus omnium:
Intra quem labor, atque otia gaudeant.

Dexter

Dexter vsus.

Ad Ioan. Becanum Goropium Medicum.



Est Asclepius hic senex,
Quo non dexterior fuit.
Fertur sanguine Gorgonis
Morbos, atque pericula
Per dextram melius manum
Curasse, atque salubriter:
Laua sed potuisse nil
Praestare, aut potius malè.
Dextera hac significat modum,
Atque artem, ratio vt mali

Con

Constet, qui medicus velit
Ægrum ritè periculis
Tutum reddere, liberum &
Quòd ſint experientia
Quidam, non rationibus
Cauti, qui ſine crimine
Auxerunt mala neſcij,
Lauos hos reputes manu.

P Me-

Mediocria prosunt.



NON sine caussa olim Bacchos miranda vetustas
Duos fuisse prodidit: nempè senem, & iuuenem:
Tristem, barbatum, qui rixas excitat amens:
Hilari alterum fronte, & iocis, lis inimica cui est.
Vina fouent animos, faciuntq; furoribus aptos:
Ni sumpseris cautè ac bene, plus nocuisse vides.
Sed moderata iuuant vires, alimenta ministrant,
Ac temperant curas graues suauibus indiciis.
Nempe senex gladios mouet, & conuitia iactat,
Necesq; plenas maximis sollicitudinibus.

Θέλω

Θέλω φρενῶν σαλαγμὸν ἢ τύχης πίθον.

Danieli à Rechnicz.



QVI præsentia conspicit,
Præ ventura videt, præteriti est memor,
Prudentem meritò vocant
Omnes, qui valeat consulere optimè.
Talis conditio mage
Prodest, diuitiæ quàm innumerabiles.
Guttam prætulerim boni
Solertísque viri doliolis opum.
Fortunam siquidem potest
Prudens ingenio commoderarier.

Victoria cruenta.



QVI *victor ſentit cum victo ſe periturum,*
Ambitione magis, quàm ratione tumet.
Quid mihi profuerit vinctus, qui mutua collo
Vincula molitur, meq́; interimatq́; cadens?
Sic elephas ſtratus complexibus vſque draconis
Conterit hærentem mole, ruensq́; necat.
Ille mihi tandem pretium, meritumq́; triumphus
Pendit, qui factum non nece, laude beat.
Interdum cauſa melius ceſſiſſe videmur,
Dum mora vindictam leniat, aut moueat.

Sed tamen à summo vinci, victoria quædam est.
Conditio serui corrigitur domino.

Ex morbo medicina. Horat. Sat. ij.



PAVPER *Opimius argenti positi intus, & auri*
Qui Veientanum festis potare diebus
Campana solitus trulla, vappamq; profestis.
Quando lethargo grandi est oppressus, vt heres
Iam circum loculos & claues lætus ouansq;
Curreret: hunc medicus multùm celer, atq; fidelis
Excitat hoc pacto: mensam poni iubet, atque

Effundi ſaccos numorum, accedere plures
Ad numerandum, hominem ſic erigit, addit & illud:
Ni tua cuſtodis auidus, hoc iam auferet heres.
Men' viuo? vt viuas, igitur, vigila, hoc age: quid vis?
Deficient inopem venæ te, ni cibus, atque
Ingens accedat ſtomacho fultura ruenti.

Vir-

Virtus non splendor commendat.



FOETA iubas quũ perdit equa in cõmercia nõ vult,
Pruritu ardentis, vel salientis equi:
Nam sese indignam, & spoliatam ornatibus illis
Ad Venerem illecebra frigidiore putat.
Virtus non cultus nimium spectandus. adornat
Fœmineum sexum plus pudor illecebris.
Non opibus quantum valeat, formáve rogato,
Quam redamas: quantum sed sit honesta magis.
Haud vestes animum decorant, non splendor inanis:
Ducque sit potiùs moribus apta tuis.

Quæstus crudelis & Perillæus.



QVOS non crudeles quæstus, non dãna tyrannus
Inuenit, ut pœnas accumulare queat?
Threirij nostros si quos cepere, redemptos
Et cupiunt, risu lethifero excruciant.
Iam plantas norunt quoq; ferro scindere vinctis,
Quas sale conspersas lingere capra solet:
Vulnere quo in risum soluuntur, & omnia spondent.
Titillis subitò commorerentur enim.
Hoc crudele malum, sed visu suaue videtur:
Author in hac pœna viuere solus amet.

Vsus

Vsus & astutia prosunt.

Ad Christophorum Carretam Archiduc. Caroli Consiliar.



SCIVRVS *obtectam nucem*
Spinis suis rigentem &
Miratur, absque fructibus
Egenus in labore.
At simiæ diuturnior
Vsus, vafer negotij,
Scientia hanc aperit statim,
Putamen haud moratur.

Habere quid prodeſt, ſatis
Nec vtier didiciſſe?
Eſt ſpes tamen futuri
Rudibus: nec vna fecit
Dies habere Pergama.
Fines ſequuntur orſa.
Vel ſic: latens diu ſolet
Tandem videre lucem.

Ignari artes oderunt. Noctua.

Ad Obertum Gifanium.



Me nil merentem ut pessumam
Odêre stultæ en alites.
Nocere quantum scilicet,
Possint libenter & velint:
Sed pœna deinde congrua
Has punit, in laqueum & iacit.
Auceps enim per nos facit
Tot aduolare, retibus
Quas implicat mensa parans.
Sic odij fructus nocent,
Fossor cadit foueam in suam.

Non

Non sufficit ad singula sensus.



V N I *præcipuè qui se dicat, Arma, labori,*
Sufficient vires, sensus & apta dabit.
Plurima qui cœpit, nil rectè finiet vnquam.
Mens distracta simul cuncta videre nequit.
Applicitam terræ quis nescit fortius aurem
Quamuis longinquos mox retulisse sonos?
Sulphure dum glandes excussæ mænia turbant,
Id docuêre hostes, fama fidemq́; facit.
Exemplo cautè se oneret mens conscia paucis,
Vt ratio fructus constet vbique sui.

Do-

Dolus an virtus, quis in hoste requirat?

Ad Dn. Sigismundum Torda. Consil. Camerꝛ Panno virum doctissimum.



N genus humanum serpens cùm sæuiit hostis,
Illicet effugium tecta cauerna patet:
ed mora ni impediat, fugientem ulturus habebis,
Si latebram subeat ritè sinistra manus.
Iac illum facilè educes, pœnasq́ subire
Coges, optatam hanc dextra negasset opem.
nsidias igitur metuens non semper aperto
Marte, sed obscurè quod meditatur agat.

Oc-

Occaſio mali præcauenda.

Ad Reuerend. Archiepiſ. Strigonienſ. Nico. Olahum



E S T *opus ingenio, magnum ſollertia præſtat,*
Et nihil imprudens quod benè fiat aget.
Temporis aſt etiam rationem, quæque gerendam
Rem circumſiſtunt ſemper habere decet.
Pons glacie rigidus niſi tempeſtiua ſecuris
Præcaueat ſubitò corruit, atque nocet.
Sic Machometæus concretum diligit Iſtrum,
Tum premit, affligens millia multa rapit.
Conſilium hoc vtinam moueat, quos debita cura
Exercet patriæ, publica grata quies.

Secura experientia.

Ioanni Sermeghij Consiliario Cameræ Pannoniæ.



QVI pateant tractus terræ, quæ climata donent
Hospitia, & pelagi quis furor, atque situs:
Cosmographi angustis describunt illa tabellis,
Atque domi ostendunt quæ peregrina sciunt.
Hoc iter haud spernas, siquidem experiẽtia tuta est,
Posseq; momento cuncta obiisse iuuat.
Omnibus haud longas licuit penetrare ad Athenas;
Credereq; interdum, non meminisse velim:
Ni moueat studium Musarum, & Palladis artes,
Quas propter nullum non repetatur iter.

Pru-

Prudentibus miniſtris vtendum.

Ad D. Ioannem Vlricum Zaſium Cancel. Cæſ. Ma.



FERTVR *equo indomito cùm prælia dira petebat,*
Vſus Alexander nomine Bucephali.
Auſus erat bellacem alius conſcendere nemo
Præter herum, talem Iulius inde habuit.
Sed mirum, vt fatear, veſtigia prima notabant
More hominis, ſimili ſæcula noſtra carent.
Si tamen admittunt aliquem hæc veſtigia ſenſum,
Prouida ſint vti queîs bene quiſque velit.

Huma

Humanis pedibus ſit equus, rationeq́ꝫ frena
Temperet, aut nemo bella ſeuera gerat.
Principio apparent non omnia, progrediare,
Conſilij fructus fine ſequente patet.
Sic te, tot rebus ſibi notis Maximus Orbis
Princeps exornat, qui patre maior erit.

Q Non

Non in mole, sed pectore virtus.

Ad D. Philippum Czoth Consiliar. Cesaris.



PER clathros vidit leo duci, fortè regiq;
Insignem à puero non patienter equum.
Indoluit magno rugitu, ac sensit iniquum
Imperium, stultos talia posse pati.
Sunt etiam in brutis animi vestigia clari,
Degeneres odit Martia turba feras:
Corporis at moles quid erit, si pectora desint?
Num laudes facinus si ratione caret?
Sit leo magnanimus, sit equus qui naribus ignes
Efflet, iudicium nil minus antefero.

In pœnam sectatur & vmbra.

Ad D. Georgium Musterum I. C.



ACCINCTVS gladio, facinusq; in pectore versans
Cœptum sollicitat suspiciosus iter.
Sæpius & timidè se vertens conspicit umbram:
Hanc ferit, à sese & longius ire iubet.
Quumq; leues ictus, ac mutua vulnera vidit,
Hic, ait, est sceleris proditor ille mei.
O, quoties terret sceleratos conscius error,
Armant in propriam fata manusq; necem!
Inuidia inflatos ne cures, proteget ille
Pignore qui summo sustulit omne malum.

Scelus exoſum.

Ad D. Hieronymum Pekh à Leopoldſtorff.



QVI cædem ſpirant, atque otia publica turbant,
Et niſi ſeditio quos animoſa iuuat:
Hos fugiant ſani, nec conſuetudinis vſum
Protinus admittant, hoſpitiumq́; negent.
Hoc tellus teſtatur idem, quæ reſpuit angues,
Excutit & gremio quæ nocuêre bonis:
Donec oberrantes ſic ſiant corpora trunca,
Et propria tandem morte venena luant.
Rectè diſcernunt tales tua limina, doctis

Doctus

Doctus & expertus qui probitate faues.
Qui totum iuuenis peragrasti gnauiter Orbem,
Aulæ nunc Cameram consiliumq; iuuas.

Simulata virtus.



QVAM *pulchrè simulant quidã Virtutis amorẽ,*
Dum vitiosa tegunt:
Atque alios multò meliores ambitionis
Insimulare student.
Namq; petunt, meditantur idem illi, quod reprehẽsi,
Sed ratione noua.

Haud cupidos auri dicunt, non frigore lædi,
Quando recurrit hyems.
Theutones accusant multi, vt fornacibus aptos,
Militiæ'que minus,
Ipsi cùm foueant ignem, semperq́; caminum,
Nulla sed arma parent.
Quis culpa caruit? intra, peccatur vt extra,
Corrige damna prior.

Caput

Caput seditionis tollendum.



FABVLA non ficta est sorices vexasse patronum,
 Nimium domumque cauasséque.
Nil tutum præ illis multos latuisse per annos,
 Ædésque tractatas malè.
Implicitos septem famulus dum conspicit, unà &
 Caudis ligatos firmiter;
Omnibus hos dominus tentat cruciare venenis,
 Frustra diu at labor fuit:

Machina dum quadam post insidiosa trucidat,
Nec vllus inde apparuit.
Sic etiam nexus animalia dira fouebant,
Capita hæc prius tollenda sunt.
Diues consequitur nam pax authore malorum
Caso: fruêre sic bonis.

Cæcum odium.

Ad Mag. Comitem Andr. de Bathor.



QVAM *ſtultum eſt odium propriis cùm cædibus implet*
Quis patriam, diro & ſanguine tingit humum.
Qui ſibi vindicta plus damni, quàm facit hoſti,
Alterius pro vno & perdit vtrumque oculum:
Non ego prudentem dico, nec miror, amóque:
Conditio melior nam eſt, Polypheme, tua.
Exiſtunt hodie imbelles, qui damna vetuſta

Omnibus vlcisci constituêre modis:
Atque sibi horrendos adsciscunt turpiter hostes,
Vt pereant, aliis dum nocuisse queant.
Est Deus vlturus tales, non sera nepotum,
Longáque progenies hos numerabit auos.

Non copia sed vsus prodest.



PISCIS *ab vndoso nostrum ponto influit Istrum*
Ichthyocolla carens osse, vel huso grauis.
Hunc piscatores quoties à viscere nudant,
Nil vnquam in stomacho se reperire ferunt.

Additur icc irco dapibus vel principe dignis,
Noxia pinguedo nulla, nec esca mali.
ed lupus, aut silurus adest, quem nouimus omnes,
Colluuies cuius viscera fœda grauat.
emper edit, prædamq́; nimis piscatur auarus,
Sed crudus ventri displicet ille bono.
Ion est in cupido semper dicatur vt auri
Diues: & in paucis dat bonus vsus opes.

Ludus



Ludus, luxus, luctus.



DVCERE *qui lusu vitam, sociósve morari,*
Atque solent fœda mergere luxuria:
Perdidit hos dudum Styga qui ditione gubernat,
Excipient luctus, pœna tremenda, dolor.
Quin longè hos grauius prætor vexabit Auerni,
Pro se, proq́; alius dum geminata ferent.
Ne fidas temerè lætis, ac plausibus. an non
Littera distinguit gaudia iuncta malis?

Pra

Præpostera fides.

E Iano illo Pannonio.



DONEC, *Anelle, tibi solus portabat asellus*
Flaua volubilibus farra terenda molis,
Nunquam iusta domum misero mensura redibat,
Aut erat externo semine mixta Ceres.
Hoc & Prætori longo narrare libello,
Vicino & memini te mihi sæpè queri:
Sed nunc egregiam vafer inuenisse videris,
Qua caueas postac talia damna, viam.

Nam

Nam custos coniunx molitoris furta dolosi
Seruat, & ad saccum pulueruIenta iacet.
O, quàm falsus homo es, qui credere granula centu
Non potes, vxorem credere, Anelle, potes.

AEquitas.



PRINCIPIS *officium scire est, iurisq́ periti,*
Quid iubeant leges, conueniatq́ue simul.
Lynceus est oculus iuris, sed prominet alter
Turbidus, vt rigidum temperet arbitriis.
Non nimis attentum Respublica, nón ve remissum
Exigit, in medio ius, veniaq́ placent.
Tum gladius rectè prudens dominabitur Orbi:
Cuius ab ancipiti vita cruore datur.

Dis

Discors concordia.



QVAMVIS sit rerum dispar natura, minusq́;
Conueniant, subigit, iungit & arte modus.
Qua mage diuersa inter se virtute resistunt
Antidotus quàm qua theriacalis habet?
Hac tamen ars miscet, tandem & rediguntur in vnum,
Vnius vt nomen post medicina gerat.
Pestiferam illa arcet tabem, infectosq́; tuetur:
Excitat optato frigida membra tono.

Cautè conniuendum principibus.



AVLICA qui tractant, seseq; fauoribus ornant,
Interdum cedunt quos comitantur heris.
Cogit adulari virtus inuita probatos,
Lingua facit, nutus, mens tamen illa negat.
Id modicè fiat, non his conceditur vti,
Ni stet iudicium, ni pietatis amor.
Talpæ conniuet Iouis ales, dum videt illum
Visu priuatum cernere posse nihil:
Non tamen immemor officij est, sublimia pensat,
Nec se credit humo quin reuolare queat.

Stultitiam celare difficile.



DECREPITO à quodam dexter consultus Apollo
Cur fureret natus, num medicina foret:
Responsum Phœbus dedit, id non esse negatum,
Si modò deuoueat filiolum Harpocrati.
Quod forsan iuueni si non mens tota rediret,
Saltem cùm vellet dissimulare queat.
Difficile est stulto semper celare furorem,
Nullus at omninò qui resipiscat erit.
Non illum helleborus, non fustes, mille cicutæ
Purgarint, non si Mercuriúsque velit.

Fatuis leuia committito.

Ad Generosum D. Leonardum ab Harrach.



INFANS *puer quum poscit equum bonum,*
Lignis leui vel fertur arundine.
Sic currit, ac se cogitat quod
Postulat, & velit, tenere.
Interdum acutum ferrum etiam petit,
Offertur obtusus sine acumine
Culter vel è ligno paratus,
Decipitur facilè & puellus.

Vanis,

anis, velim, sic pondera credier
Rerum, petunt quando ambitiosius
Grandes magistratus, honores:
Vt leuibus noceant, parúmque.
ustè Baro te maximus omnium
Princeps negotiis præficit, & sua
Credit libenter, qui mereris
Nunc quod es, & fueris deinde.

Exemplo caueto.



PERCVSSVS ferula puer,
Et rectè monitus quid facere audeat:
Pœna cuncta metu ſolet
Obſeruare, nec in priſtina corruit:
Vt vel cruſtula ſi velis,
Vuas per ferulam, ſed comitem & dare,
Non fidat metuens minas,
Et praſtare putat ſuauia linquere.
Hoc piſcator idem facit
Ictus, dum refugit vulnera cautior.
Exemplo alterius caue,
Neu credas propriis viribus aut bonis.

Vin-

Vindice fato.

Ad Georgium Hozzuthoti Consil. Cameræ Pannonicæ.



VINDICTAM *Deus haud malis remittit,*
Nec vult in vitiis suis perennes
Hæreant, reuocat sed in salutis
Rectum semper iter sequi volentes.
Punit nil minus impios repentè,
Vel serò grauiore sæpe pœna.

Vt quum lamina desuper globúsve
Plumbi missus adest, volans ad ima,
Tardè, seu citius cadunt deorsum.
Alterum nisi latior quòd aër
Forma captus habet, globus figura
Sed velocius incidat, ruátque.

Sp

Spes aulica.

Christophoro Plantino suo.



FVIT *procorum quanta multitudo, sed*
Potitus vnus est petita sponsula.
Nec sorte victor toties sperans benè
Eurymachus illam duxit in thalamum suum.
Imago ludi istius est in aulica
Vita, scopum hîc omnes petunt variis modis,

Et ambiunt: ſed vnus aufert omnia.
Quiſquam nec horum credit antè, quàm videt
Vanam fuiſſe ſpem ſuam pòſt exitu,
Helenam ſibi nec traditam pulcherrimam,
Paſtoris indigni & ſubiſſe lectulum,
Iouis ſororem qui oderat, qui Pallada.
Spes aulicis in rebus haud eſt certior:
Cùm tempus, ac ſumptus profundas maximos.

Grandia

Grandia modò placent.



SVPREMAS *quia Athos excedit vertice nubes,*
Vmbras in Lemnum proiicit illa suas.
Id spatium nostris facit octo millia passus,
Res minus expertis haud memoranda viris.
Sed Rhodos insigni quoque nobilis ipsa Colosso,
Phœbe, tuis radiis conspicienda fuit.
Sic generosa solent patulum in diffundier Orbem,
Grandia mensuris complacuere bonis.

Modulo te tuo metire.

Ad egregium virum Collimanum Egrer Viennensem.



QVEMVIS *conditio sua temperet, atq. supellex:*
Non malè qui latuit vixit & ille bene.
Ne spernas humilesq́ casas, tenuesq́ caminos.
Sunt qui non curant prædia, pingue solum.
Sed pede se digno virtutis conscia vita
Metitur, fructus carpit & inde suos.

Quàm

Quàm rectè perdix, cothurnix, phasius ales
Nidos in planis deposuere locis!
Scilicet alarum breuitatem, & pondus iniquum
Corporis expendunt, alta aliisq; sinunt.
Hoc quoque tu spectas, qui posses grandia quaque;
Impositum curas sed bene tutus onus.

Sacra

Sacra ne violato.

Domino Paulo Bornemiſſa Epiſc Tranſſyluanienſi.



A RAM Pauſaniàs in ſummo dicit Olympo
Conſpectam, circum quam ſacra picta forent.
Exta etiam cerni volucres quæ intacta rapaces
Liquiſſent, ſuperûm quòd rata vota manent.
Sunt faciles ſuperi, precibus ſeſe Deus offert
Hora, qua erroris pænitet, atque pudet.
Fortè tamen ſi quid non vanis vſibus olim
Et pura oblatum mente, pieq́; vides:
Cur temerare velis, cupideq́; in peius abuti,
Sacrilegas vetitis iniicere atque manus?

In

In ſinu alere ſerpentem.



Est vrbs prævalido quã hoſtis premit vſq. furore,
Et quatit inſanis mœnia dura globis.
Præripit annonam, crudelia fata minatur,
Ni velit obſeſſus cedere miles hero.
Commoditas tantæ ſed ſe obtulit illa gerendæ:
Nempe rei è gremio, de proprióque ſinu.
Sit ius ſemper idem cum ciuibus, atque ſub vrbe
Qui loca legerunt ſedibus apta ſuis:
Sit vitæ licet, atque fori communio ſancta,
Vicini incautis hi nocuêre tamen.

Quare

Quare ſecuros qui princeps reddere ciues
Vult, prohibet multas eſſe ſub vrbe domos.

Dicit in æternos aſpera verba Deos.



STVLTE *quid optas,*
Nónne venena
Conſpicis atra?
Non tua forma,
Sed mage ſcortis
Quæritur aurum.
Te hæc macerabunt
Sanguine poto.
Sic quoque hirudo
Non cute fixa
Decidit antè,
Quàm crepet vltrò.
Tu caue poſthac
Noxia, poſſis
Degere longo vt
Tempore vitam.

Patien-

Patientia læsa fit furor.

Ad D. Philippum Baronem, &c. seniorem à Vinneberg.



A N G V I S *extensus, baculoq́ poenam*
Durius soluens trepidat, semelque
Ictus aduerso subitam notabit
Funere mortem.
Sæpius si se videat petitum
Verbere, haud fert, colligit in sinusq́

Debitos

Debitos ſe, mutuò comminatur
Atque venenum.
Læditur quando patiens bonúsque,
Leniter fert, nec queritur dolendo:
Fortè ſi tranſis moderationem,
Fit furor inde.

Minu



Minus malum eligendum.



CONQVESTVS *nimium ciuis erat publica quòd domus*
Scortorum temerè prouocet ad quemque libidinem;
Vrendamq́; monet, si sapiant, ne foueant scelus.
Ast quidam senio, consiliis, vsibus & valens
Respondet querulo: recta quidem, sed quoque noxia
Poscis, nam memini sorte prius nos face subdita
Conatos cupidè has ædiculas tollere funditus:

Sed ſcintilla leuis lata domos attigit omnium,
Infecitq́; ſuo hic vitio qualibet integra.
Eſt ergo melius, tutius & talia condere
Certo, vnoq́; loco, quàm cupere exurier omnia.

Damnauêre meretrices apud Aquitanos: at vbi ea ciuitas in locupletiſsima ac nobilissima ſui parte non quasi lupanar fuit. Saluian: de gubern. Dei lib: VII.

Pro-

Prouidentia omnia reguntur.



ANTRVM *Ithacæ munit laudata pignus oliua,*
Gaza vbi Phæacum condita tanta fuit.
Consilium simul ad radicem cogitur illud,
Quo cædes reliquis sit metuenda procis.
Exstitit haud casu quo splendet frugifer Orbis,
Prouida vis cæli cuncta tuetur ope.
Cæsia nam Pallas tempus complectitur omne,
Quod nisi spe pacis quid viguisse potest?

Coniugium laborum.



THEVTONVM *laudabilis fuit sacri mos coniugij:*
Ad laborem non voluptatem petebant nuptias:
Ergo mittebant decens suis amatis symbolum,
Cum clitellis par boum, ferocem equum, scutũ simul.
Vt marito sciret omnibus periculis fore,
Debere & sociam bonam esse vbique firmiter suo.
Peius est nil quàm pecuniæ modò caussa fidem
Coniugi, fœdæ aut libidinis dedisse, nec mage
Castitatis liberorum & insequentium famæ.

Iccus

Iocus quæstuosus.



Ex vno duplices quæstus, & commoda plura
Venantur rebus qui studuêre suis.
Non fraudi parcunt, nummus dum compleat arcam,
Arteq; de sociis vberiora ferunt.
Quorum turgentes quando exhausere crumenas,
Ludorum foliis sustinuere gulam.
Nam madidis reddunt infarctis anseris hepar
Grandius, & totum pancreas esse volunt.
Lautitiis decorant mensas, capitolia nudant
Custode, vt loculos tutius euacuent.

AEquitas Senatus.

Ad Guid. Pancirolam.



CAVSSA *grauis non vult recitari iudice coram*
Publica, vel dici si is leuis esse velit.
Talibus hinc olim prætendi vela solebant,
Ne leuiter fraudi, vi fieretq; locus.
Ne reus, aut actor sua fuco, & munere possint
Exornare, oculos fallere, & auriculas.
Quot sunt dorodochi falsum qui crimen amarunt,
Ac lites quæstu dissoluëre suo?
Vnde tot existunt patroni, totq; clientes?
Iudicis hanc culpam qui malus esse puto.

Nimi-

Nimium rebus ne fide secundis:

Ad D. Iacobum Fuggerum Antonij filium.



A furiis Boreæ, ventorum & flamine pinus
Excelsæ citiùs deiiciuntur humi:
Vertice quàm quæ sunt humili,ceduntq́ libenter,
Vel quas non tangit vis inimica poli.
Res etiam in summo quando fortuna locauit,
Sunt in præcipiti, non stabilique gradu.
Ergò ne nimium rebus confide secundis:
Quæ secura putas, ventus inanis aget.
Rectè igitur studiis operam, populisq́ remotis
Visendus, tantum te tribuisse putes.

Insignia valent.



MVLTA valēt, doctiq́; probāt, nec vulgus abhorret
Accipiunt pondus sed tamen illa notis.
Nam nisi sint etiam titulo insignita superbo,
Fulgeat & digno nomine quidque, latet.
Sic lapides olim venales arte fuêre,
Et glyphices pretium non malè creuit ope.
Sic hodie magni fiunt doctoris honores,
Qui studiis laudem promeruêre suis.
Ne fugias nomen quamuis doctissimus auis:
Sit modò digna fides, non erit ambitio.

Vel

Vel leuia multitudine clarent.

Ioanni Oporino carissimo.



Qvis neget inuentum Germanorum ingeniosum
Cartula quo recipit tot monumenta typis?
Quo quicquid factum est vnquã, scripsitq́ vetustas
Asseritur, cupidè posteritásve legit.
Quot regum historiæ latuissent, dicta sophorum,
Theutonicus rectè ni reparasset honos!
Ni leuis hæc, vsu sed cartula digna theatris,
Custosq́ æternùm nos meminisse velit!

Sunt etiam leuibus ſua pondera, commoditates
Quas redimant nullæ ſint licet Orbis opes.
Ergo ſuas vires cuncti noctésque diésque
Vtilibus voueant, multa papyrus adeſt.
Hoc tu præclarè & ſollerter Oporine curas,
Quo nemo plures edit, habétque typos.

Spes nunquam futurorum.

Domino Ioanni Tonner I.C.




QVID *non ſpes lucri paſſim promittit auaro?*
Quid non attentant quod pretiúmve negant?
Viſcera perfodiunt terræ, & phlegethontea rura
Scrutantur, nihil eſt tutum ab auaritia.
Perreptant montes cum rupibus, vnde metalli
Spes leuis oſtenſa eſt, ferrea virga notat.
Hanc manibus prenſam velli, vt magnete, trahíve
Aiunt, hoc diues proſilit indicio.

Sed

Sed leuiter numis exhaustis sæpè redire
Mœstus, & in laqueo spem cumulare solet:
Nos alia docuit Tonner requiescere fessos
E studiis tandem Pallas amica via.

Di-



Digamia horrenda.



QVOD monstrum dicas deformius atque duarum,
Sæpè trium sociûm velle vouere thorum!
Non vel principibus loco eo res, sufficit vna,
Nec toties ducunt frangere turpe fidem.
Quis binas rectè naues moderetur, & ausit,
Ni vas bulborum sæpè comesse queat.
Vna qui insequitur lepores indagine binos;
Eius sunt vacua fructibus vsque domus.
Quid magis auersum est à relligione seuera,
Mancipio quam se dedere luxuria?

Non

Non ſine numine diuûm.

Ad D. VVolfgangum Hallerum Imperij Secretari;



LVMINA *noſtra,*
Ni medius ſit
Lucidus aër,
Protinus errant.
Sic quoque mentes
Iudicio acri
Vera videre
Non poterunt, ni
Cælitus afflet
Spiritus auram.
Ardua nemo
His ſine pennis
Aggrediatur,
Ne liquefactis
Decidat alis.
Sed dubij qui
Ac tepidi ſunt,
Hos fugiamus
Vt crocodilos:
Ac tueamur
γείτονι *noſtros,*
τῷ πολυμήτι.



RANARVM ſtrepitus nimis moleſti
Qui turbant tacitos bene & quietos,
Ceſſant haud minùs, ac polo tonitru
Si ira deciderit Iouis tonantis
Pro ripa poſita ſtatim lucerna.
Sic fit tempore diſputationum:
Veritate etenim propè aduolante,
Admiſſáque ſilent moleſtiores,

Igna-

Ignauúmque pecus, leuas sophistæ;
Corde qui secus ac loquuntur vsque
Sentiunt varij, fouéntque nugas:
Non vt persicus offerens ideam
Iunctæ mentis & intima loquela.
Diuisis vtinam Dei negotiis
Nostro pectore lux beata lites
Iam tandem dirimat, locétque ouili
Vno, mox precibus Deo & reducat.

MA-

Scalig: orat: contr: Erasm: Ego verò ijs ita vsus sum, vt pro lectione haberem; fateorq: me aliquot in rebus minus recte affectum esse.

MAGNIFICO IOANNI GROLIERO QVAESTORI REGIO ET CONSILIARIO LVTETIAE SAMBVCVS.

SCIO quanti me facias, quo animo semel comprehenderis: quem quotidie in tuis colloquiis, & omnis antiquitatis delectationibus esse toties, licet aliis quoque occupatissimum, more patris volueris. Eius igitur voluntatis erga me prolixæ, atque honorificæ nomine tibi omnia debeo, sed inprimis si quæ de meis scriptis aliquando tam graui, tamque illustri viro digna posset existere, memoriam Quæ quoniam ita dudum celebris, ita in omnium auribus ac simul est animo posita, nulla vt illi commendatione quicquam addi queat in tuo me futurum semper ære hisce aliquot numis æreis testari volui: etiam si plures, quos alij etiam pro insignibus prodũt, & nonnulla argentea ponere vellem, iustus libellus vix sufficeret. Per hoc quippe trienuium multis modis bibliothecam auxi, ornauique meam, ac antiqui operis numismata, quæ tu adeò extollebas, maximè raris cumulaui: vt vel summis Cardinalibus admirabiles Romæ, & per Italiã Principibus fuerint: præsertim Otho hic æreus, cum circo Hadriani, & Pescennio, vnicus, quod sciam, in Europa, doque operam, licet paucos, seu potius nullos in patria huiusce studij esse in desiderio admodum videam: ne meæ conditionis, & patrimonij satis angusti quidem ac tot peregrinationibus, impostura etiam quorundam mercatorum diminuti, mediocris, & honesti tamen homines, voluntate, atque conatibus, hoc in genere professionis, omnisq. adeò anitiquitatis, lõgius superent. Vale, decus nobilium, cuius ex ore nihil quàm quod ex pectore, vnquam manat, Henricoque Memmio nostro, si graue non erit, salutẽ. Vienna tertio Iduum Martij. 1565.


IMP·CAESAR·TRAIANVS HADRIANVS AVG·P·M·TR·P·COS·III·P·P.


ANN·DCCCLXXIIII NAT·VRBIS CIR·CON


IMPERATOR VIII
S C


IMP·CAES·NER·TRAIANO OPTIMO AVG·GER·DAC·P·M·TR·P·COS·V·P·P·


M COMMODVS ANT P FELIX AVG BRIT



P M TR P XI IMP VII COS V P P
S C







IMP. . RVA CAES AVG
P. M. TR. P. COS. II P. P.


CONGIAR
P R.
S C


ACIAC


AVP.OYHPON
AVT KAI·


CONCORDIA AVGVSTORVM


VOTA
PVBLICA


GENT. BARB
TRIVMFATOR
KADPS


DN·HONORI
VSP·F·AVG·


IMP·CAES·DOMITIAN·AVG·GERM·P·P.


COR
GERM·IMP.


S·P·Q·R·OPTIMO·PRINCIPI·
S C


IMP CAES NERVA TRAIAN AVG GERM P M


M·COMMODVS ANT·P·FELIX·AVG·BRIT


P M TR P XI
IMP VII
COS V P P
S C



LIBERALITAS AVGVST T.
S C


IMP CAES·M·OPELSEV MACRI NVS AVG


IMP CAES NERVAE TRAIANO AVG GER DACP M TR P COS V P P


ANNONA AVGVSTA CERES
S C


TI·CAESAR DIVI AVG·F·AVGVST P·M·TR·POT·XXXIIX
S C




M· AVP·




AVGVST.
ANNONA
S C


IMP·CAES·DOMIT·AVG·GERM·COS·XI·CENS·PERP·P·P·


ΑΥ·ΚΑΙ·Μ·ΑΥΡΗ
ΚΟΜΜΟΔΟ


ΕΚΤΩΡ
ΙΛΙΕΩΝ


IMP VI COS III
VIRTVS·AVG


M ANTONINVS AVG TRP XXVI




SACRA ROMAN RESTITVTA




ANTONINOCCEB
M·AYPHAIOC


NERO CLAVD CAESAR AVG GER.P.M.TR.P.IMP PP


ANNONA AVGVSTI CERES
S C




AVRELIVS CAE
SAR AVG·PII F·COS·I



AYT·K·T·ΠECK·NIΓPOY IOYCTOC CEB·


KAICAPEIAC ΓEPMANIKHC


P.TR.P.COS III


ANTONINVS. AVGVSTVS PIVS P




CONG II COS II


FELIC·AVG·TR·P· III
COS·II
S C


IMP·CAES·L·AVREL·VERVS AVG·


IMP·CAES·M·AVR·ANTONINVS PIVS AVG·


SACERD·DEI·SOLIS ELAGAB


VOTA SOLV·PRO SAL·P·R
COS·VI·P·P·


MM·AVG·P·FEL·
L·AEL·AVREL·CO


HADRIANVS
AVG·COS·III·P·P.


EXERC·DACICVS
S C


VEHICVLATIONE ITALIAE REMISSA


IMP. NERVA CAES AVG · P M TR P COS III P P


IMP. CAES N BRVAE TRAIANO AVG GER DAC P M TR P COS VI P P


S P Q R V M T R A I A N I . C .

QVATVOR ANNI TEMPORA,
IN NVMMO REGIO MAXIMI
PRECII IN FONTENOBILI.






OTHO. CAESAR.


SECV
S.P.R


LOCVPLETATORI ORBIS TERRARVM
S C


IMP·CAESAR·TRAIANVS HADRIANVS AVG·P·M·TR·P·COS·II


DIVAE MARINIANAE.


CONSECRATIO
S C


P M TR P XVI
COS VI
S C
HERC COMMODIANO


M · COMMODVS ANT P FELIX AVG BRIT PP


DIVO TRAIANO AVGVSTO





CPATONIKΩN.ΛΑΟC
NEOKOPΩN




IMP·CAES DOMIT AVG GERM
COS·X CENS POT PP·




COS III
RELIG·AVG
IMP VI
S C


AVG·TR·P·X·XVII
M·ANTONINVS


HADRIANVS
AVG COS·IIIP P.


HADRIANVS
AVG COS·III P P.


RELIQVA VETERA HS NOVIES MILL·ABOLITA
S C



IMP CAESAR TRAIANVS HADRIANVS AVG·P·M·TR·P·COS·III


M·COMMO DVS ANT P FELIX AVG BRIT.


IOVI IVVENI PM TR P XIIII IMP VIII COS V PP.


S·P·Q·R·
OPTIMO PRINCIPI
S C


IMP·CAES·NERVAE TRAIANO AVG·GER·DAC·P·M·TR·P·COS·V·P·P·




IMP CAES P SEPT GETA PIVS AVG


PONT.IF TR P II. COS II.
S C

EPIGRAMMATA ALIQVOT SAMBVCI ARGVMENTO PRIORIBVS NON DISSIMILIA.

Reprehensio.

ADMONITVS *verbis iuuenis, si spernat habe-*
Verberibus vitium corriget ille minus. [*nas,*
Vtq́ ferox patitur calcaria sæpè molestus
Subdita equus, certum non subiturus iter:
Sic puer emendet si non peccata loquelis,
Spes poterit frugis nulla subesse bonæ.
Qui fugiunt morbos, facilis medicina paratur,
Dumq́ subest fructus, flos, foliumq́ notant.

Varia esse dona.

OMNIBVS *haud eadẽ vario qui præsidet Orbi,*
Cuncta nec æquali fert, adimitque modo.
Illum diuitiis Crœsi, minus arte sororum
Ornat, at hic aliud fortè decenter habet.
Hic sequitur Musas, alium commendat amoris
Forma, valet miles viribus ipse suis.
Parce tamen formæ, deformis; diues, egeno;
Strenuus, imbelli; doctus amétque rudem.
Quisque suas dotes teneat, nec præferat vlli,
Quod Deus occulta donat habere vice.
Et nihil æternos cùm sit quod duret in annos,
Obiice qui melior deteriora minus.
Omnia prætereunt, Musarum gloria solùm
Viuet in extremum concelebrata decus.

Haud

Haud ita pyramidum constabit fama, peribunt
Mausolaea prius clara sepulchra situ.
Nil stabile in terris, quod corruet ecce mouetur,
Quae sunt principio ducta, vigore cadunt.
Pallados exstabunt, magnorum & scripta virorum,
Interitus nulla his semita structa fuit.
Sed magis alma fides, & amor prodesse valebunt,
Gorgoneo semper quae potiora lacu.

HOSTIS.

TVTIOR *est hóstis, quicunque minatur apertè,*
Praemonito laedit quippè furore minus.
Hunc poteris contra gladio cauisse saluti,
Promptius atque ictus impediisse leues.
Obscurè sed qui latitat, non cominus irae,
Extulerit tecto signa timenda loco.
Insidiis auidè meditatur perdere vitam,
Nec ratio iuris, nec mouet vlla fides.
Hos metuat semper vita qui dignus amica,
Rarius exposcat qui sapit insidias.

FAVOR.

MAGNA *quidem merces, decus est, & gloria rectè*
Principibus studiis posse placere bonis:
Sed tamen est maius regi parêre supremo,
Praemia dat nullo qui eripienda modo.
Hunc sequitor laetus, vitam si reddere Olympo,
Atque subire nouus tecta beata voles.
Nempe illic certos grati carpemus honores:
Hic fauor externis anteferendus erit.
Hoc floret iusto nam tramite gloria, nunquam

In

In licet aduersis quæ peritura venit.

REVERENTIA SENVM.

ANTE senes iuuenem cultus, reuerentiaq; ornant,
Vtq; verecundus sit pietate, decet.
Est cani capitis fructus reuerenter amari,
Contemptuq; putat tristius esse nihil.
Vtq; Noto, & pluuiis lædentibus apta viator
Cùm madet, exceptus, tecta subire cupit:
Sic honor est senibus requies, solamen habere
Id poscunt, mortem lenius atque ferunt.

DIVITIAE AD FR.

DIVITIIS addunt Musæ decus, has ego vellem
Qui sapit optatas post cumularet opes:
Vsus enim rectus si non accedat, obesse
Possunt, exiguus postq; sequetur honos.
Hæc, Francisce, tuæ placuit sententia menti,
Hac ratus ipse opibus conditione frui.
Vnà ego, si verum fatear, vixisse sine auro
Cum Musis, contrà quàm caruisse velim.

AVXILIVM.

GRATIA sollicito si quando est iuncta labori
Impediet nullo tempore pestis opus.
Ira Dei contrà cùm creuit deficit imber,
Et sata languescunt, & labor omnis iners.

DE DISCORDIA.

NASCITVR in rebus facilis discordia, bullæ
Tam cito vix innant, pax tamen ipsa breuis.
Nil videas nostro quàm lites tempore duras,
Exitium patriæ quæ cumulare solent.

O, utinam Regni proceres depellere fœdum
Turca conentur fortiter inde iugum.
Finibus & cultis sæuum prohibere tyrannum,
Pacéque sperata pòst meliore frui.

CALAMITAS.

NVNQVAM venire sola vult calamitas,
Sed plura secum, dum molestior, trahit,
Occasionem pessimam silentio
Exspectans, ut malis grauans acerbius
Omninò fessum comprimat famelica.
Sic debitorem creditor timet leuem
Vnus, nec audet aduocare iudicem,
Turba sed incipit simul cùm cætera,
Minatur efferus, premítque iniquius.
Deus malorum quin scelesta corripit
Sic facta, confertim obruit doloribus.

FIDES.

SOLA triumphanti, constansq́; adhibenda magistro,
Eripiat nullus quam tibi latro, fides.
Solus adoretur, qui crimina nostra redemptor
Sustulit, optatos restituítque lares.
Tutus ab insidiis Cocyti nullus, & igni,
Anteferens proprio numina ficta Deo.

REQVIES.

EST etiam curis requies adhibenda molestis:
Si nimium intendas, chorda redibit iners.
Non durant vires; adamas quoq; frangitur arte:
Quæq; suo laxas tempore, firma manent.
Mausolæa ruunt, lapidúmque cauatio guttis

Fit

Fit facilis, longam cùm subiere moram.

LIBRI.

COPIA *librorum non est spectanda magistri,*
Sed potius quantum creuerit arte puer.
Prodest selectos, paucósque videre libellos,
Punctáque de quouis ferre petita iuuat.
Proficies rectè modicis ita, crede, diebus:
Certa sit hæc studiis semita parta tuis.
Et nocet auctorum, & nocuit variatio crebra.
Ingenium turbat, iudicióque vacat.

EMPTIO LIBRORVM.

IVDICIO *libros coëmas, nec mercibus illos*
Segnius obserues, namque venena tegunt.
Fercula si reiicit stomachus, non grata palato:
Quis laudet fugiens Pæonis arte malum?
Deligere innocuos ergo res ardua libros:
Dum relegis, ne cum melle venena bibas.

VESTITVS.

VESTE *puer nitida, non spurca incedat amictus,*
Dedecet ætatem fœda lacerna rudem.
Quippe solent habitus mentem quoq; prodere cultã,
Arguit ignauos squallida labe toga.
Vt vestem iuuenis decorat, decoratur ab illa:
Compta refert grates, ingeniumq́; probat.
Sed minor annosis patribus sit cura nitoris,
Canicies senium, multáque ruga decet.

DISCIPLINA.

QVI *rudis es, doctis cupias parêre Magistris:*
Turpiter impingit, qui monitore caret.

Sic nisi flexiuagas moderetur vinitor vuas,
Non subeunt vlmos quas posuere duces.
Praeceps ingenio ruit omine stulta iuuentus,
Nec satis accepto vulnere saepe cauet.
Cuncta potest oculus sed prouidisse regentis,
Tutius exemplis hincq; dedisse metum.

STVDIVM.

DVM *potes ingenio florens concedit & aetas,*
Excole quod cunctis commoda longa ferat.
Pellantur nugae vileis, & inutile rerum
Sit procul hinc studium: gloria vana subest.
In tenui labor est, quibus otia praua supersunt:
Séque putant vitam praeter habere nihil.
Tempora sic fugiunt, minimis vt vita gerendis
Deficiat: fruitor, dum sinit ergo bonis.

OBSTRICTIO.

DEBVISSE *nihil, ferunt honestum,*
Libertas etenim solet placere,
Obstringíque putant calamitosum.
At si vera loquor, fideliores
Sunt multi, quibus es benigniori
Deuinctus studio, fideliúsque
Tecum semper agunt; parem expetentes,
Quam debes, operam: volunt subire
Mutuo officio pares labores.
At commercia sunt quibus negata,
Coguntur dubij periculoso
Interdum minima aggredi timore.
Debere ergo potes, fruique amicis:

Et quò plus facies, velis refectum.

ADMONITIO.

QVI *monet vt facias, pro munere gratus habeto,*
Vtere, neu frustra ſint bene dicta caue.
Indicium præfert quicunque hortatur amoris:
Noxia ſi credas non voluiſſe ſat eſt.
Sic vbi quid melius prudenti fortè recurret,
Vtilius rebus conſulet ille tuis.

DIVITES.

NON *ſunt qui cumulant opes, beati.*
Virtutem potius labore partam
Duco diuitias beatiores.
Si constans fuerit beatitudo,
Nunquam deiiciet ſuos alumnos,
Seruabit proprio & ſinu receptos.
Atqui aurum nocuit bonis ſubinde,
Accerſens odium metus nefandos.
Fures inſidias ſtruunt rapaces,
Arte ſi nequeunt, dolis minantur.
Sed virtus retinet bonis ſalutem.
Vis nulla imperat huic, manet vigilque
Florentésque fouet gradus quieta.
I poſthac inhians amanter auro,
Te iactes aliis beatiorem.

PIETAS.

SI *quis es æterno victurus tempore fama,*
Imprimis colito cæli qui condidit astra,
Stellantésque faces, atque ampli mœnia mundi.
Pars tandem meritò patriæ tribuetur honorum.

Sique opus, & vita pro libertate careto.
Interea dulces qui te genuere parentes,
Ex animo venerare, precésq; adiungito gratas.
Hac cupit omnipotens nutu qui dirigit Orbem,
Et natura piè suadet, pœnásque recenset.

PVERITIA.

DONEC *erit studiis ætas, tempúsque iuuentæ*
Aptum, Thespiades semper amato Deas.
Hæ pariunt nomen, vitamq́ue extendere nostram,
Non sine muneribus, tempus in omne sinunt.

IDEM.

DVM *fauet hæc ætas, doctas coluisse per artes*
Ingenium prodest, nomenq́; tulisse per æuum.
Sperne voluptates, siquidem caligine mentem
Turpiter occæcant: virtutem delige semper.
Sic datur insignis lauri de fronde corona.

MODVS.

OMNIBVS *est cautè iungenda modestia rebus,*
Laudatur medio sæpè stetisse loco.
Ardua qui tentat sine pennis, decidit: alas
Quòd non aptatas queis veheretur, habet.
Quis non Dædaleos currus temeraríaq́; ausa
Rideat exemplo suscipiátque minus?
Ergo quicquid agis, tuta ratione probato,
Exemplíque memor, fac, tueare modum.

SVSPICIO.

QVI *bonus, errores non solùm vitat apertos,*
Sed potius quauis suspicione vacat.
In mala suspicio tentat, vocat illa morantem,

De se

De se cunque videt dicier vsque facit.

DE EADEM.

NOXIA suspicio mendax, cùm labe carentem
Fraude grauans maculis insidiosa notat.
Æmula non veri semper, nimis vsque placere,
Inuidiam arripiens quamlibet, illa solet.
Maluerim vulgo notum scelus esse, supremam
Conscius & meriti sustinuisse crucem:
Pendulus æterna quàm suspicione taceri;
Nulla potest nomen restituisse mora.
Quippe sequens hominis dubio vestigia signo,
Non etiam iustus est habitura fidem.
At quæ sunt etiam Phœbo manifesta, negantur:
Et solet ad fratrum testis adesse focos.
Creditur obscuris si sint optata: libenter
Addimus & falso quod magis auget, onus.
Parcius ergo alios curato vt opinio lædat:
Fœdius hoc, vitam, est, quàm minuisse breuem.

POENA.

SI quoties peccant homines, quoque pœna pareteur,
Momento tutus quis superesse velit?
Gratia sed maior, quàm cuncto tempore lapsus:
Ira Dei haud nobis æqua dolenda venit.
Irarum nec vult rapidas effundere habenas,
Quòd caderet minimo fulmine tactus homo.
Nunc facilis pœnas differt, cui paret Olympus,
Ac veniam precibus contribuisse cupit.
Quod si non adeò doleas peccasse, reseruat
Te Stygiis ira pòst grauiore malis.

CONTEMPTVS.

Si tibi præstantes calido sunt pectore vires,
Ne spernas humilem, continuoq́; premas.
A paruis magnos video superarier vsque,
Exiguo & latitat corpore robur enim.
Temptus Dauides Goliad sic sternit ouantem,
Corporis & molem fallere sæpè docet.
Exhorret gallum leo sic, stimulumq́; camelus,
Et puer inuictos sub iuga cogit Amor.

SOMNVS.

Mvsa vetat puerum suaueis producere somnos,
Ac studio lucis tempora prima capit.
Sufficiat tantum noctu repetisse quietis,
Quantum opera, & studiis euigilare soles.
Nam veluti pluuiis nimium si perfluat hortus,
Terra negat fructus imbribus acta suos:
Sic magis irriguum somno caput atque decebat,
Pieridum ingenio semina iacta fluunt.

FORTVNA.

Est aliquid Fortuna, suo quæ numine multa,
Arbitrioq́; minax, sæpè onerosa, mouet.
Namque eadem casu simili non omnibus obsunt:
Profuit huic, alij quod nocuisse potest.
Hoc etiam quidam memorant contingere fato,
Ordine quod rerum visceribusq́; latet.
Propterea nusquam nostris constantia rebus,
Cùm Deus ob culpam nostra relinquit humi.
Non pelagus tot habet pisces, tot littus arenas,
Quot Deus indignans obiicit illa modis.

Sed fidunt Domino qui summo, casibus atque
Fortunæ ambiguis lusibus apta negant.

STVDIA.

TARDA *venit Musis nunquam. sit qualibet ætas,*
Tempora sunt studiis nulla negata tuis.
Ingenium quamuis habile & natura negarit,
Corrigitur damnum triste labore tamen.
Ne querulis ergo tardum te confice verbis:
Aggredere audacter, qualiacunque dabis.
Est melius fecisse aliquid, quàm viuere segnem.
Pallas ad ingenium quodlibet apta venit.

PAX.

PAX *melior bello, validè stant omnia pace,*
Illa premunt vrbes, depopulantur agros.
Hac florent agri, ciues, subeuntq́ nepotes:
Relligio colitur, quicquid & Orbe viget.
Hanc tulit excelsa nobis è sede parentis
Christus, & ex animis imperat vsque sequi.
Pax melior bello, pacem te poscimus omnes.
Hac iuuat imbelles. Martia turba vale.

VITA.

HAVSIMVS *è cælo mentem, superasq́ reuerti*
Ad sedes Christo nitimur inde duce.
Os homini erectum, vultusq́ ad sidera vergunt,
Vnde tulit vitæ semina quisque suæ.
Iungimus has sed enim, dũ corpora mole supersunt,
Exstet vt auctoris mentio grata, domos.
Hîc simul vnanimes passi grauiora salutis
Sternimus æternum splendidioris iter.

SPES.

OCCIDVIS hominum rebus spes sola relicta est,
Quæ iubet, exspectes vt meliora malis.
Continet adflictas blanda exspectatio mentes,
Atque nouam subiens præmeditatur opem.
Hæc nisi sit vasti summus regnator Olympi,
Nullo constabit nuntia fida loco.
Ille potest lapsis certam promittere semper,
Extremo casu ferréque amanter opem.

DE MEDICO ET COCO, IOCVS.

IVRE coci maior laus est, quàm Pæonis: ille
Grata tulit stomacho, non sapida iste tuo.
Odit enim sanos medicus, qui congerit aurum,
Atque bonos longè malit abesse cocos.
Gratus odor lucri, dum quæuis pharmaca fingunt,
Firmáque venali corpora lege regunt.
Forsitan at quæris cur ditior hostis amico?
Iste gulam, nummos respicit ille tuos.
Altera sed melior, quod vendit lauta minoris,
Aëre dat hic contrà gramina nota graui.
Pharmaca quin medicus commutat sæpe culinis,
Cùm peram exhaustam, sanguine corpus habes.
Huius opem sanus fugiat, nec gustet amara,
Dum licet eximij fercula ferre coci.

DE IVRISCONSVLTIS IOCVS AD AMICVM.

LEGIBVS addicti præcedere iuris honores
Pæoniis magno murmure sæpè volunt.
Estq; vetus, nondum dissensio lite peracta:

Diuitiis

Diuitiis agitur, non ratione pari.
Si tamen exspectant litis, me iudice, finem,
Ipse feram medicos legibus antè meos.
Cumq; habeam multas caussas & plurima signa,
Quattuor ex illis enumerabo tamen.
Hi perimunt ægros, qui viuere fortè nequirent:
Vos laqueo fortes prenditis, atque manu.
Vi miseris vitam rapitis, nos pharmaca semper,
Qui cupiunt vltrò, munera chara damus.
Spem medicus præbet succis, vos fune parato;
Hic meminit vitæ semper, at ille necis.
Quos medici occidunt, pompis & funere lauto
Consequimur; vestrum lictor, & arma reum.
Nec iuuat ægrotos minimum, retinere parentum
Quòd poterunt famam: dedecus ille timet.
Vna sed est vobis ratio, quòd gustus, & index
Pura manent, illis stercora fœda grauant.
Addere vel si quis cupiat, visuntur vt ægri,
Limina patroni sic terit vsque cliens.

MENSA.

ESCAS quid faciat salubriores,
Vt vitam teneant, nihílque menti
Obsint, æthereas opiniones
Nec turbent, moderatius petitæ:
Est cari memores fuisse Christi.
Nostris sic epulis, precemur, adsit.
Nam tutò reficit molestiores,
Subducit quoque cogitationes.
Quare nos animis, simúlque membris

Grati,

Grati, pabula temperatiora
Sumamus reuerenter, ac pudenter.

ALITER.

ESVRIENS *tantum comedas sitiensq́ rigabis,*
Ne stomachum læso fortè calore graues.
Composito mensam decores sermone rogatus,
Exornes paucis seria verba iocis.
Admittit iuuenile decus probitate loquelam,
Nec tacitus laua suspicione caret.
Ne tamen excedant annos, metamq́ pudoris:
Intra contineat se puer, osq́ modum.

AMICITIA.

IVNGE *tibi socios pulchræ virtutis amore,*
Nam Venere & Baccho iuncta repentè cadunt.
Caussa ligat gratos hæc fœdere semper amicos,
Altera sed subitò dissoluënda venit.
Ostendunt animos etiam mentémque reuelant,
Cum quibus assiduè viuis amore, fide.
Ac veluti visco si occurrat rete ferendo
Quis tibi, ne quæras conditionis opus:
Sic delectatur qui consuetudine praua,
Est similis socio moribus ille suo.

AVRORA.

QVOD *tempus studiis seueriores*
Certatim tribuunt, ferûntque amicum?
Est aurora parans viam diei,
Nondum cùm radiis sequens coruscus
Sol, pastos reuehit suos iugales.
Tum nulli impediunt graues calores,

Vexant

Vexant frigora nec molestiora.
Ergo qui sitiunt sacros liquores,
In fontésque ruunt perenniores,
Auroram studiis colant amicam.

SIMVLATIO.

NIL *peius simulare quàm fidelem*
Se fratrem studiis, bonáque mente.
Existit siquidem frequens querela
Ira ac insidiæ periculosæ.
Quanto maior erat fouens amicos,
Tantò post melius sibi cauebit.
Ergo qui pariter cupit salutem,
Is verè nitidissimos amore
Virtutis sibi iungat, & fideles.

VITA.

IN *vita nihil est diu fuisse,*
Curas namque vides laboriosas.
Cautus perpetuis studeto rebus,
Mittas quæ rapida feruntur aura.
Constans nil, nisi credidisse summo,
Qui firmus residet parenti Olympo.
Ne spes fixa sit in leui columna,
Sed quæ sustineat domum, trabésque.

PATRIA IVVANDA.

Si studes gratam patriæ tulisse,
Quam cupit tantis operam in periclis,
Ne diu, multóque morêre segnes
Tempore vires.
Semper est laudabile profuisse

Patriæ

Patriæ fessámque leuare curis.
Nec minor virtus, bene quàm parenti
Reddere grates.
Ergo ne cultis fugias tyrannum
Propulisse agris; niueámque pacem
Ferre, quam vero tenuit professa
Pectore Christum,
Si viget suauis pietas, amórque,
Quem foues, casu mouearetanto,
Nam vides nunquam grauius nocere in-
commoda posse.

VIR BONVS.

V I R *bonus haud vnquam refugit cõmune periclũ,*
Et vocat in partem publica damna suam.
Nec minus hanc vitam pro libertate fugacem
Intrepidè exposcit fundere, quisquis amat.
Vt simul attollit vires in milite caussa,
Hunc etiam grauius iustior ira mouet.
Nescio, sed diuinus amor quid læsus iniquè,
Amplius audacter sustinuisse iubet.
Mollibus hac tristem verbis depellere caussam
Non patitur, quauis sed violenta subit.
Curritur ardentes interdum spontè sub ignes,
Próque fide cupidus spiritus astra petit.

VERBORVM VARIA VIS,
AD BARTOL.

N O N *eadem vis est sermonis ab ore profecti*
Et boni, & impuri, magne poëta, viri.
Nempè mouet grauitas, rebusq; probata gerendis,

In quorum numero tu quoque clara fides.
Quin etiam morum consensus, & inscia rerum
Caussa, docet potius illa vel illa sequi.
Hoc ego sum expertus nuper, dum Barbus amata
Consuluit, sed idem te repetente placet.
Conciliant quædam sic conspirantia fata,
Et stat consensu fortius omne. Vale.

BIBLIOTHECA.

QVI *solet alterius cupidè versare libellos,*
Hinc mea sit longè Bibliotheca rogat.
Illius vt secum forsan ne expostulet, ipsa
Improprio leuius quòd statuisset hero.

EXHEREDATIO.

BIS *septem causis non heres gnatus habetur,*
Si verbis lædat, verberibusq́ patrem.
Indicet aut crimen, vitam eripiátque veneno,
Cùm nocet, insani cura nec vlla manet.
Addiderit si se prauis, fœdétque cubile,
Haudq́ fidem ponat pro patre, nec redimat:
Si impediat testantem, imitetur & impia mimos,
Filia si meretrix, si probet hæreticos.

DE AMICITIA AD IOANNEM Auratum.

CLARAM *de medio conantur tollere lucem*
Vtile qui fugiunt fœdus amicitiæ.
Nil est quod vitæ magis huic conducat inerti,
Innumeros fructus, commoda mille vides.
Hac sine nil vnquam poterit Respublica, quamuis
Sit penitus summis vndique cincta iugis.

Concors

Concors insignes ut opes, eademq; voluntas
Munit, discordi sic quoque cuncta ruunt.
Hinc Agrigentinus vates constare putabat
Legibus his, quicquid clauderet Orbe Deus.
Consilium quare non improbo, care poëta,
Quòd socij defles fata, vicémque tui.
Quippe ita declaras, tua quæ constantia fratres
Ereptos maneat, qua doleásve fide.
Carmina consumet nunquam tua liuor, edaxq;
Tempus, & inceptum crescet honore decus.

FINIS.

Post: in Aust:

Praestantes Medicos praestantes carmine vates
Maximilianus habet Caesar et historicos
Haec tria sed solus qui praestet munia, nullum
SAMBVCO excepto, Caesaris aula videt.

Io: Leuncl: proemio ad annales Glycae.

Est in familia Caesaris vir praestans ingenio cognitionis varietate, rerum vsu, & virtute propemodū singulari, SAMBVCVS vir. Cur illum hominē non maximi faciam, qui publicatis egregijs ingenij monumētis, emblematis solerter excogitatis, et perarguta quadā Eidyllia declaratis, Dioscoride purgato, & illustrato, varietatum libris nō illis quidē adhuc editis, sed suo tū tempore proferendis oēs in admirationem sui rapit. et q̄ sequūtur.

Idem de eo honorifice multis alijs in locis loquitur, vt et ad pandectas Turc: pa: 321.

Jo. SAMBVCVS Tirnauiæ pannoniæ oppido natus anno M D XXXI qui plerisque in Academijs Italiæ, Galliæ, Germaniæ cum laude versatus: præter cæteros vnus cum literis humanitatem, Græca cum Latinis, antiquæ philosophiæ scientiam, quod e scriptis eius facile apparet, cum elegantia doctrinæ coniunxit: Medicus elegans: poeta scitus: antiquarius solers: D.D. Maxæmiliano & Rodulpho II Aug: Cæs. a Cons. et historijs: maximam gloriam cum proprijs scriptis elucubrandis, tum authoribus veter. recolligendis et quasi a mortuis excitandis adeptus. Obijt Viennæ Austriæ iii. Iunij A° sal. 1584. Aet. 53.

vide Bezæ epitaph: lib: fol. 150. Edit. 1599

natus die 1. Joh Bapt. vt Grut. in Cron.